This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

Gp 51.67.10

LIBELLUS HISTORICO-
CRITICUS

Gp 51.67.10


שלום על ישראל
FROM THE INCOME
OF THE BEQUEST OF
LEE M.
FRIEDMAN '93
VE RI
TAS
Harvard College
Library

LIBELLUS HISTORICO-CRITICUS

IN QUO

QUOMODO ULTIMIS A. CHR. SAECULIS JUDAISMUS CUM PAGANISMO COALUERIT PHILONIS THEOSOPHIAE RATIONE SUB FINEM HABITA

AD ACADEMICAM LICENTIATI THEOLOGIAE DIGNITATEM IN UNIVERSITATE LITERARUM LIPSIENSI CAPESSENDAM

EXPOSUIT

PAULUS VICTOR SCHMIDT
BORNENSIS
DOCTOR PHILOSOPHIAE THEOLOGIAE LICENTIATUS
PAROCHUS APUD SCHOENECKIENSES.

LIPSIAE.
GEORG BOEHME.
1884.

xi)
emo-
in suam
Graecorum
tea tum aetate
roneiam commisso

Gp 51.67.10
V

LIPSIAE.

TYPIS ARMINII JOS. RAMMII.

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
APR 16 1965

In universum inter duo genera gentium statuimus discrimen. Alterum genus est eorum populorum qui in rebus gerendis multum valuerunt atque id potissimum egerunt, ut inter se conjuncti magis magisque populi orbis terrarum fierent, sive cultura, cui omnium virium nisu studebant sive bellis, quae gerebant, denique magnis facinoribus atque institutis domi militiaeque conflatis. Alterum genus est eorum, qui quum quasi in absconditis remotisque historiae angulis laterent, ad totam historiam generis humani promovendam aut artibus literisque aut negociando aut bellando non modo non multum sed nihil fere fecerunt. Hoc genus silentio transeundum. Quos vero priore loco designavimus, in eorum numero ducendi sunt Indi et Aegyptii, qui populi vetustissimi sua uterque ratione quasi universae fundamenta culturae humanitatisque fulserunt, dein Assyrii, Babylonii, Persae universali rerum potestate variis temporis spatiis inclitissimi, Phoenicii, qui commerciis, negociis, navigationibus, peregrinationum varietate, praecipue coloniarum (*μετοικίαι*) in maris medii litora deductione haud exiguas easque remotissimas terrae partes cum pace ut ita dicam in suam potestatem subegerunt. Hoc loco ante omnia Graecorum mentio facienda, qui quantum cum antea tum aetate Alexandri Magni in proelio apud Chaeroneiam commisso

potestate politica eversa, artium literarumque studio omnia fere vitae publicae et privatae genera excoluerint et quantopere bona generis humani communia auxerint atque amplificaverint vix laudibus satis efferri potest. (Georgii in ephemeridibus Illgenii 1839: Die neuesten Auffassungen der alexandrinischen Religionsphilosophie p. 39.) Denique ne Romanorum quidem obliviscendum. Qui domi militiaeque armis et dolis plerasque gentes ad unam eamque amplissimam unius imperii formam redegerunt. Omnes illi populi universalem sibi vindicare possunt vim ac potestatem inter antiquitatis nationes.

Jam quaeritur utrum ad genus Judaei adnumerandi esse videantur. Quam quaestionem tractaturus has potissimum res paullulo accuratius observandas puto. Primo quaeritur, qualem terram incoluerint, dein quali lingua usi sint, denique quid domi militiaeque, in artibus literisque profecerint.

Terra sacra in ea via sita est, quam, ut Caroli Ritteri verbis uter, historia mundi magis magisque promota ex interioribus Asiae regionibus ad loca Asiae minoris, ad litora maris medii pontis instar gentes remotissimas inter se conjungentis ipsa quasi fecisse videtur atque aperuisse. Fieri igitur non potuit, quin populus Judaeorum medias inter gentes habitans, ab his tangeretur. Situm terrae promissae Ezechiel propheta jamjam his designavit verbis: כֹּה אָמַר אֲדֹנָי יְהוִה זֹאת יְרוּשָׁלַיִם בְּתוֹךְ הַגּוֹיִם שַׂמְתִּיהָ וּסְבִיבוֹתֶיהָ אֲרָצוֹת. (Ezech. V, 5.) Nihilo secius negari non potest hanc terram, sitam בְּתוֹךְ הַגּוֹיִם a communicatione earundem gentium complures in partes exclusam fuisse. Quod olim Bileam filius Beor jam vaticinatus erat: de summis silicibus videbo eum et de collibus considerabo illum; populus solus habitat et inter gentes non reputabitur (Num. XXIII, 9 cit.

sec. vulg.), id revera evenit. Septentrionem versus Libani et Hermonis montibus altissimis, occidentem versus mari medio, meridiem et orientem versus desertis cincta fuit. Hunc terrae situm respiciens Carolus Ritter suo jure hoc fecit judicium:

Dieser Verein der grössten Contraste in der Weltstellung, einer möglichst isolierten Zurückgezogenheit nebst Begünstigung allseitiger Weltverbindung mit der zu seiner Zeit vorherrschenden Cultursphäre der alten Welt, durch Handels- und Sprachenverkehr zu Wasser wie zu Lande, mit der arabischen, indischen, ägyptischen, wie mit der syrischen, armenischen, griechischen wie römischen Culturwelt, in deren gemeinsamer räumlichen und historischen Mitte, ist eine charakteristische Eigentümlichkeit dieses gelobten Landes, das zur Heimat des auserwählten Volkes von Anfang an bestimmt war. (Ritter, Erdkunde, tom. XV, 1, p. 11; Kahnis, Luth. Dogm. tom. I.)

Lingua autem qua utebantur una ex linguis semiticis fuit neque antiquissima neque uberrima neque admodum idonea ad sententias eleganter exprimendas leporesque stili excolendos. Quamobrem omnino non inserviens periodis pulchre exornateque construendis similis fuit ipsius populi, a deo jussi, amplitudinem fidei et simplicitate sententiarum sublimium et sublimitate sententiarum religionis simplicium exprimere. Quae eadem lingua multum etiam differt ab altero genere linguarum Ariorum. Linguae enim Ariorum praeter ceteros inclitis literarum monumentis aere perennioribus florentium altiorem elegantiae gradum nactae sunt. Periodis et enunciatis artificiose constructis et particularum multitudine insignes sunt, quibus singulas enunciatorum partes facillime conjungere et tranquille cogitando modisque maxime variis de rebus contemplandi se adaptare enunciatis-

que principalibus et secundariis utentes rationem elegantiorem inter singulas periodorum partes intercedentem elegantissimum in modum exprimere atque adumbrare possunt. Quas peculiaritates et proprietates, ut exemplo aliquo utar, in lingua graeca inde ab initio originis infuisse, hujus rei causas docuit gravissimas Otfried Muellerus in libro suo inclitissimo: Geschichte der griech. Literatur bis auf das Zeitalter Alexanders. Breslau 1857, p. 4 squ.

Aliter res sese habet in linguis semiticis, quas appellant. Ibi non subordinationis, sed coordinationis ratio grammatica praevalet. Ibi singula singulis enunciatis laxe et dissolute inter se cohaerentibus exprimuntur. Ibi particularum usus uberrimus et abundans nobis non occurrit. Denique hujuscemodi lingua non fuit ea, qua terrae gentes aut in usu vitae quotidiano aut in litteris tractandis uti posse sibi viderentur. (Bertheau in Herzog, R.-E. ed. 2; V, p. 683 squ.)

Quid vero Judaei domi militiaeque profecerunt? Qualis erat ea, quam incolebant, terra, agris colendis eos operam navare necesse fuit. (Dr. Heinr. Leo, Vorlesungen über die Geschichte des Jüdischen Staates, Reutlingen 1829, p. 25.) Etenim quamvis terra promissa testibus scriptoribus et sacris et profanis tam fertilis esset frugibus, (שִׁבֳּלֶת Deut. VIII, 7 squ.; Exod. III, 8 squ.; Tac. hist. V, 6*) ut permagnae hominum multitudini panem vinumque et omnia, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, praeberet, quamvis hac in bona terra mel atque lac fluerent, tamen, si, quo in statu fuerit antiquis temporibus, cum eo, in quo nunc ipsum versatur statu, comparaveris, ut ultro omnibus

*) Rari imbres, uber solum: fruges nostrum ad morem praeterque eas balsamum et palmae.

opibus atque fertilitate uberrima abundet, tantum abesse facile intelliges, ut incolas tali modo tractare videatur, quali ab eis tractari se videat. (Leo, l. c. p. 25; Kahnis, Luth. dogm. tom. I, p. 290. Oehler in Herzog, R.-E. VII, p. 174.) Nec magni fuit momenti commercium, quo ante aetatem hellenisticam Judaei floruerunt. Neve quis dixerit, eos eis, quas utiles vocant, artibus promotis praeter ceteras floruisse temporum pristinorum nationes. Nec magis bellando reque militari eorum nomen longe lateque versatum est. Quibus omnibus nominibus, quae modo enumeravimus, quamvis eos hoc illudve fecisse negari non possit, tamen nullius rei mentio facienda erit, qua aut praeter ceteras orbis antiqui gentes sese praestiterint aut cum his possint comparari.

Quid vero de ingenuis artibus*) ab eis excultis judicemus?

---

*) Hoc loco in annotatione dumtaxat nonnulla mihi in universum eloqui liceat de eis, quae ad huius notionis et amplexum et ambitum pertinent. Quod si ars ingenua sive pulchra ea est, qua quis pulchram sententiam pulcherrimum in modum aliqua in materia expresserit (Kahnis, Luth. Dogm. I, p. 174 et 300; Wackernagel, Poetik, Rhetorik, Stilistik, akadem. Vorlesungen ed. Ludw. Sieber. Halle 1873 p. 5 squ.) omnes artes duo in genera facile possunt dividi, prout materies, qua artifex utitur aut praecipue sensus, aut mentes hominum sibi vindicare videatur. Tum altera ex parte exstant architectura, sculptura, pingendi saltandique ars quippe quae materiem concretiorem et solidiorem adhibeant, artes sensuales vel plasticae, quae nominantur, altera autem ex parte ars poetica et musica, artes spirituales quae vocantur. Ars saltandi vero a ceteris eo differt, quod, cum illae semel procreatae revera sint, quod sunt, haec, ut in conspectum hominum omnino possit venire pariter ac poeseos musicesque artes denuo repetatur oportet. Quapropter cum his etiam artibus quas posteriore loco nominavi, intime cohaeret et transitum quodammodo efficit ab artibus plasti-

Non desunt testimonia, ex quibus apparet, luxuriam Judaeorum etiam animos ita occupasse, ut aedificia artificiose exstruerent. Quam luxuriose e. g. domus privatae exornatae fuerint, haud paucis e locis V. T. cognosci licet. Domus divitum ac nobilium hominum e saxis quadratis exstructae (1. Reg. VII, 9; Jes. IX, 9; Amos VIII, 5. 2) immo marmore candido (שַׁיִשׁ 1. Chron. XXIX, 2) compositae, extrinsecus colorum varietate illitae, immo columnis aut marmoreis aut aeneis ornatae atque suffultae (cant. cant. V, 15; 1. Reg. VII, 15 squ.) in interioribus partibus, quaecunque ad vitam tam commode quam splendide instituendam pertinent, ea omnia praebuerunt. Nec adeo porticus defuerunt. (אוּלָם 1. Reg. VII. 6; Winer, Bibl. Handwörterbuch Art.: Häuser.) Accedit, quod in locis deo adorando destinatis et in tabernaculo foederis et in templo Salomonis apparuit, Judaeos non tantum symbola intelligendi, verum etiam structurae in fanis adhibendae admodum gnaros fuisse. Neque enim jure licet contendi, quod Otfried Muellerus dixit et Sauperus in libro, cui titulus est: „Die 4 Elemente der Baukunst“ p. 51, templum Salomonis ex inventione Phoeniciorum originem ducere. Aedificia enim, quae Salomo exstrui jussit, non inventa, sed a Phoeniciis aedificari tantum et coepta et revera aedificata sunt. Artis inveniendi ipsos Judaeos participes fuisse, apparet ex loco: 1. Chron. XXVIII, 11—19, quem

---

cis ad eas artes, quae, ut ita dicam, ingenii spiritusque speciem prae se ferre videantur. Cujus rei argumentum ex historia depromptum in eo invenitur, quod musices et saltandi artes hucusque conjunctae esse solent, poeseos et musices pristinis dumtaxat temporibus cum apud alias gentes, tum apud Germanos veteres majores nostros pari modo conjunctae fuerunt, in scaena vero theatrorum graecorum tres omnes inter se conjunctas fuisse non nescimus. Etenim chorus tragoediae saltans carmina cantabat.

qui perlegerit, inveniet, regem David ipsum descriptionem templi domuumque regiarum, quae aedificaturus esset, filio suo tradidisse. Quin vero Salomo tenerrimo sensu pulchri praeditus fuerit, nunquam in dubium, quod equidem sciam, vocatum est. Denique qualis stilus aedificandi apud Phoenicios fuerit, parum liquet, quam ut accuratior comparatio atque contentio possit institui.

Haec testimonia architecturae apud Judaeos excultae praesto sunt. Nihilo secius negandum erit, eo hac in arte progressos Judaeos esse, quo Graecos progressos fuisse constat, quem populum, etsi a populis recentioris aetatis hoc nomine superatum esse negare nolimus, tamen inter populos antiquitatis summum hujus artis gradum ascendisse infitiari non poterimus. Qua re Judaei cum aliis rebus, tum vero vel eo prohibiti sunt, quod posteriore dumtaxat tempore uno loco unus deus cultu sacrificiisque venerandus eis fuit. Quod momentum religiosum effecit, ut ne eis temporibus quidem, quibus a monotheismo deficientes cultui nefario multorum numinum indulserunt, his dis peregrinis templa magnifica et splendida aedificarentur. Namque illis domibus in summis montibus aedificatis, quae בָּתֵּי הַבָּמוֹת nominabantur 2. Reg. XXI, 3; XXIII, 8) neutiquam hoc nomen vindicari licet.

Quod vero de sculpturae arte verba nobis facienda sunt, eam ex cultu deorum apud Graecos incrementa cepisse compertum est. Atque etiam apud populos christianos cum religione cultuque ecclesiastico intime cohaeret.

Jam vero Tacitus perhibuit (hist. V, 4) Judaeos mente sola unumque numen intellexisse. De ea re scribit Bertheau in libro: Israelit. Geschichte p. 248. Legibus deinde si non quodvis genus imaginum at tamen in universum imagines unius dei ex lapidibus, lignis, metallis fabricare

vetiti erant. Quamquam ne in templo quidem huiuscemodi signa defuerunt. Ibi duo cherubim suspensa imminuerunt propitiatorio. Et quid dicamus de colubro illo aeneo, a Mose in regionibus desertis elato? Salomo deinde cum domino aedes aedificandas curaret, nimia paene libertate eas, quas supra nominavimus, leges violasse censendus erit. Nec vero umquam eum ullo modo reprehensum esse ex V. T. comperimus. Hoc loco etiam mentio facienda maris aenei illius, quod dicebatur (1. Reg. VII, 25) duodecim tauris omnes in partes spectantibus suffulti, pariter atque throni illius Salomonis regis, quatuordecim leonum statuis circumdati, qui leones non solum roboris, vigoris, majestatis symbolum habendi sunt, id quod Winerus arbitratur (Bibl. Realwörterbuch art.: Bildnerei 3; ed. I, p. 181) sed quos inde ex eo tempore, quo Jacobus filiis suis benedixit (Gen. XLIX.) signum tribus Judae fuisse, nos olim docuit Dr. Franziscus Delitzschius in eis lectionibus, quas de archaeologia Hebraeorum habuit.

Ex eis, quae diximus, sequitur, Judaeos altum gradum ne hujus quidem artis ascendisse. Quod quas ad causas referendum esse videatur, quamvis certo dici non possit, tamen multorum multum forsitan intersit unam causam, quam Schnaase in libro: Geschichte der bildenden Künste I, 257 protulit, audire. Is autem auctor arbitratur, eandem rem, quae ad vim, leporem, venustatem poeseos hebraicae multum fecerit, prohibuisse, quominus adspectum imaginis vehementer appetendum Judaei censerent. Phantasiam enim eorum nimio atque assiduo motu praeditam et quodammodo impulsu vehementiore nimis impletam fuisse, quam ut tranquillis atque sedatis animis esse omnino possent, quibus qui vacuus esset, ab eo plasticas imagines nec ut ab artifice creari, nec creatas cum fruitione spirituali ad-

spici posse, facile esset intellectu. Haec sententia mihi nimis subjectiva esse videtur. E contrario enim et ipsi Judaei desiderio imagines statuasque adspiciendi summo impleti fuerunt. Qua in re praecipue haud dubie situm erat, quod ante exsilium babylonicum ad idolorum pluriumque numinum cultum perquam propensos sese ostenderunt. Et quo minus cultu abstracto unaquaque imagine admodum vacuo cupidinem res religiosas sub specie pulchritudinis et formarum artificiosarum adspiciendi satiatam esse sentirent, eos eo ardentiore desiderio in vetitum nisos esse, facile intelliget, qui rerum hominumque naturam pernoverit. (Ewald, Gesch. des Volkes Israel II, p. 111 squ.)

Porro ad poeticam artem Hebraeorum transeamus!

De qua jam Herderum inclitissimis in libris: Vom Geist der ebräischen Poesie et exemplis et commentatione ex librorum sacrorum poesi deprompta scripsisse constat. Atque ita quidem scripsit, ut cum quis hos quos modo nominavi libros, iterum iterumque perlegerit, is et in ea parte, ubi dialogi inter Alciphrontem et Eutyphrontem forma utitur, et in ea, in qua suas ipsius sententias disserendo exposuit, omnia genera leporum poeseos hebraicae animo suo iterum quasi summa cum voluptate intueri sibi videatur. Qui quamvis theologiam christianam cum humanitate universali conjuncturus hac in re rectos terminos nonnunquam excessisse censendus sit, (Kahnis, der innere Gang ed. III, pars I, p. 305) tamen is fuit, ut ejusdem auctoris theologici verbis pergam, cujus in hortis palmae orientis, olivae Graeciae, quercus septentrionalium regionum possent provenire. Is fuit, qui pro accurata atque firma harum rerum scientia de poeseos hebraicae natura atque indole accuratius investiganda optime meritus esset. Non omnia, quae huc pertinent, exponere poterimus. Longum

est. Reussius contendit (Herzog: l. c. ed. II, V p. 673.) admodum difficile esse dictu, quaenam proprietates in arte poetica Hebraeorum insint. Ne Robertum Lowth quidem, episcopum Anglorum, qui vir saeculo XVIII (nat. 1711; mortuus 1787) praeter ceteros eximia naturae atque indolis poeseos hebraicae scientia floruit, in libro hac de re scripto (de sacra poesi Hebraeorum ed. Rosenmüller 1815) provinciae ab eo susceptae dominium prorsus obtinuisse. Quae cum ita sint, noli mirari, quod nosmet hoc in loco ea tantum prolaturos nos esse fatemur, quae ex Herderii, Kahnisii, Reussii scriptis didicimus.

Obiter tangam, eum, qui de poesi veteris testamenti agere velit, a priori in ea sit oportere sententia, ut *θεοπνευστίαν* mechanicam, quam dicunt, prorsus rejiciendam putet. Namque etsi spiritus sanctus sententias animo suggerere censendus est, tamen carmina flammis ardentissimis et ingenii et eloquentiae collucentia fieri non poterunt, nisi poeta ipse fecerit aut panxerit carmina (*ποιεῖν*: *ποιητής*) (Kahnis, Luth. Dogm. I, p. 301). Quod vel inde licet intelligi, quod non desunt, quae ad alias res atque ad res religionis pertinent. Huc referendi sunt ei libelli poëtici, quorum Num. XXI, 14 סֵפֶר מִלְחֲמוֹת יְהוָה et Jos. X, 13; II. Sam. 1,17 סֵפֶר הַיָּשָׁר mentio fit, quos qui collectionem carminum antiquissimorum ad amorem patriae pertinentium continuisse judicaverit, a recta recte judicandi via haud longe deflexisse erit censendus. Hunc in numerum etiam canticum canticorum referendum. Quod carmen non jure allegoricum in modum interpretandum esse constat. Nam in eo amorem mulieris, amoris desiderium, amoris felicitatem ac beatitudinem poeticis eisque dulcissimis versibus poeta, quisquis est, laudibus praedicat. Hoc disceptari mea quidem sententia jure non

poterit. Hoc tantum possis in dubium vocare, utrum, id quod Ewaldus voluit, illi desiderii amorisque dulcissimi soni vocesque ab uno Salomone an et ab Solomone et ab altero amatore virginis Sulamiticae provenisse censenda esse videantur. (Zöckler, Handbuch der theol. Wissenschaften 1883 Tom. I p. 160; Kahnis, Luth. Dogm. I, 303) In universum autem sacra fuit atque religiosa poesis hebraica. Porro haec poesis neque epica neque dramatica, sed lyrica tantum fuit. Non fuit, inquam, epica. Hoc non mirandum erit. Nam quum poeseos epicae genus efflorescere solet, ea, quae gesta sunt memoriaeque prodita, in formam fabularum quasi redigantur atque et loca et tempora rerum fortiter gestarum transmutentur necesse est. Quod apud Judaeos fieri non potuit. Quae enim apud eos tradita erant, ea per se divina erant, ita ut ingeniorum lusui res gestas transmutandi cupidorum neutiquam indulgerent (Kahnis, l. c. p. 300). Accedit, quod et Judaei et in universum populi semitici parum aequo animo fuerunt, quam ut sui ipsorum obliviscentes res gestas objectivis, immo mere objectivis lineamentis adumbrarent.

Nec magis dramaticum genus excoluerunt. Nec sales vitae communis nec pugnae singulorum cum rebus adversis susceptae adeo placuerunt, ut comoediae aut tragoediae exstarent. Nam etiam liber Job, quamquam speciem carminis tragici prae se ferre videtur, si ad peculiarem ejus naturam animum adverteris, nil nisi lyricum carmen habendum est. Sic etiam judicat Delitzschius (art. Hiob, in Herzog, R.-E.). Carmina lyrica tantum exorta, quae duo in genera possunt dividi. Quorum alterum vocabulo שִׁיר, alterum מָשָׁל significatur. Quae quasi ex animo emanant et corde summae pietatis sinceraeque verecundiae

Dei pleno gignuntur atque hucusque in libro psalmorum inveniuntur, hae sunt שִׁירוֹת. Quae vero ad exprimendas sententias sapientiae, experientiae, prudentiae ad vitam bene ac commode degendam adhibendae inserviunt, haec nominantur מְשָׁלִים. Illud genus cum ab aliis, tum inprimis a rege David, haec ab Salomone originem plerumque trahunt. Nec fortuito hoc evenit. Utrumque cohaeret et cum ea condicione, in qua utroque rege civitas fuit et cum moribus, sententiis, peculiari utriusque regis natura indole, ingenio.

Quodsi, quid Judaei in arte poetica ab eis exculta profecerint, judicium nobis faciendum est, quid dicamus? Haud dubie summas, gravissimas, maxime eximias sententias protulerunt, quas qui sibi in succum atque sanguinem verterit, praeclarissimos eum fructus capturum esse sperandum est. Nec dubito dicere, haec testimonia ingenii poetici non minoris aestimanda esse, quam multorum aliorum populorum etiam Graecorum.

Quanta vero vetustate excellunt! Namque priusquam carmina Homeri atque Hesiodi inter populum circumferebantur et canebantur, immo priusquam illa carmina Orphica, quae poemata cosmogonica nonnulli vetustiora illis fuisse censerunt (Ueberweg, Grundriss der Geschichte der Philosophie, tom. I, p. 28), pangebantur, jamdudum exstiterunt libri illi, qui sub nomine *τοῦ πενταπεύχου* usque ad nostram aetatem pervenerunt. Quos libros ex remotissimis generis humani temporibus originem ducere et multo vetustiores esse quam fere omnes, qui apud ceteras nationes exstant, libros sacros, quamvis a nonnullis, qui rei criticae *τοῦ πενταπεύχου* operam dederunt, in dubium vocatum sit, qua de re hoc loco non licet copiosus agere, tamen et ex interno connexu historico apparet, qui inter

res gestas in illis narratas posterioremque historiae judaicae aetatem intercedit et inde intelligitur, quod in permultis scripturae sacrae libris v. g. in prophetarum vaticiniis, in sententiis de Sapientia (חָכְמָה) aetate Salomonica exortis, in libro Jobi aliisque locis illorum scriptorum non modo sententias et cogitationes, verum etiam verba et vocabula literali quadam similitudine resonare credideris. (Delitzsch, Commentar über die Genesis. Einleitung, p. 5—15.) Priusquam igitur arctiorem jam communionem habuerunt Graeci et Judaei, hi jam libros habuerunt, arte poetica refertos. Nec facile invenias quemquam, qui et forma et sententiis rebusque hujus artis revera imbutus audeat contendere, non summam utilitatem his libris coetui hominum artes colentium allatam esse. Neque enim frustra Herderus aliique viri docti, horum liborum periti, iterum iterumque hoc studium commendaverunt.

Nihilo secius Judaeos hanc quoque artem poeticam aliter ac Graecos excoluisse apparet. Graeci enim eam et modo quasi humaniore et varias in partes promoverunt. Impulsus poeticus eorum omnia quae vere humana sunt, amplexus, neque religione sola coërcetur, et uberiorem formarum generumque copiam procreavit. Non lyricum tantum, verum etiam epicum et dramaticum genus excoluerunt et ita excoluerunt, ut in quovis genere summum gradum atque acumen ascendisse videantur.

Ad musicam saltandique artem nobis transeundum. Judaei haud dubie jam in Aegypto versantes multa, quae ad has artes pertinent, non modo audiverant et spectaverant, verum etiam sibi assumpserant. Connexum quendam inter Judaeos Aegyptiosque usque ad aetatem imperatorum romanorum fuisse, ex eo luculenter apparet, quod

in arcu triumphali Titi, qui nuncupatur, tubae hucusque exstant illarum simillimae quae in picturis aegyptiacis in urbe Thebis aspiciuntur. Inde jam ab antiquissimis temporibus in regionibus orientalibus ars musices exculta fuit. Joh. Georgius Hammannius sua jam aetate de rectiore ejusmodi rerum dijudicandarum ratione optime meritus est. Neque enim solum declamavit, sed certis causis et argumentis probavit, prius quam orationem pedestrem artem poeticam, prius quam sententias sensus atque sentiendi facultates, prius quam studium literarum artium initia, prius quam scribendi artem consuetudinem canendi apud omnes fere nationes floruisse. Itaque quod in genesi IV, 21 legimus, id mea quidem sententia Winerus non suo jure in numerum fabularum mythorumque redegisse mihi videtur. (Winer, Bibl. Realwörterbuch, Art.: Musik.) Similiter atque apud Graecos apud Judaeos etiam arctissima musices cum saltationibus conjunctio fuit (Gen. XXXI, 27; Ex. XV, 20). Unde apparet, populum musicam ad vitae societatem magis magisque excolendam voluptatemque augendam tractavisse.

Nec desunt loci, quibus hoc probatur: Amos VI, 5; Kohelet II, 5; Threnorum V, 14; alii. Reussius in eo articulo, quem de poesi Hebraeorum scripsit (Herzog, R.-Encycl. ed. II. V, 672) vitam societatis tibiis vocibusque canendo conditam atque exornatam praeclaris sane coloribus depinxit atque dilucide explicavit. Carmina maxime varia canebantur ad gaudia luctusque vitae communis quadrantia sive bella feliciter gerebantur, sive convivia celebrabantur (Jes. V, 12; Amos VI, 5), sive festorum nuptialium gaudia et laetitia laudibus efferebantur (Judic. XIV), sive de morte defunctorum querelas querebantur (II. Sam. I, 17 squ.)

Nec vero ad vitam communem tantum, verum etiam ad cultum Dei religionisque morem ritumque pie excolendum atque amplificandum haec ars pertinuit. Cum aliis temporibus, tum inde ex aetate David religioni atque cultui inservivit. Quippe inde ex eodem tempore maximo opere effloruit. David enim rex (1. Chron. XXIII, 5) quattuor milia levitarum ad hymnos festivos praecinendos destinavit, et ut laudes Dei diebus festivis quam plurimum efferentur, omnia egregie instituit. (1. Chron. XVI.) Ex his chorus delectus est, in quattuor viginti partes duodenorum cantantium divisus, qui certo ordine vice versa cum sacerdotibus canere consueverant. David rex jam omnibus, qui canebant, tres viros tamquam antistites artis praefecit, qui, quae producenda essent, et decernerent et producenda curarent (1. Chron. XVI, 8—21). Ac si idem auctor (2. Chron. V, 13) memoriae tradidit, eo die quo templum Salomonis consecratum esset, vocibus tibiisque ita cantum esse, ut omnes voces, quasi ad unitatem conjunctae auribus perciperentur, hanc rem dignam ducemus, quam vehementissime admiremur, praesertim cum notum sit, eodem tempore centum viginti tubis totum concentum auctum fuisse. Qua in arte magnam diligentiam studiumque inde ex illis temporibus collocaverunt. Quid quod, cum pars magna Judaeorum ex exsilio babylonico in patriam redissent, huic rei adeo studuerunt, ut ars in certis quibusdam familiis quasi hereditaria a patribus ad filios descendere videretur. Siracida etiam (Sir. XLVII, 9 squ.) in templo Serubablico dulcissima Davidis carmina audita esse perhibet. Atque in templo Herodiano, quod dicitur, praeter cetera instrumenta organon etiam in usum venisse Hieronymus testatur nec hydraulicum quidem, sed vento atque aëre implendum, cujus fistulae tibiaeque tam clara voce ceci-

nisse dicuntur, ut soni ejus tonitruum similes alicujus viatoris de monte olivarum fortuito ambulantis aures tangere possent. Nec vero plura volo.

Quid jam de eis, quae Judaei profecerunt, dijudicemus? Constat, eis nec concentus quaternarum vocum nec vim venustatemque harmoniae nota fuisse et ut apud omnes fere antiquitatis populos sic etiam apud Judaeos summam in concinendi ratione praevaluisse simplicitatem. (Herder: vom Geist der hebräischen Poesie 1783 pars II, p. 111). Quae simplicitas tum demum concentui polyphonico et symphonico cessit, cum homines vim atque naturam „soni tertii" majoris, quem nuncupant, accuratius novissent. Attamen constat, illam naturalem simplicitatem, quae in psalmis canendis praevalebat, ex synagogis seriore tempore ab christianis hereditariam acceptam esse. Ceterum, quod scio, multum distulit ars musices Judaeorum ab Graecorum carminibus. Nec vero silentio transeundum quod Winerus jure adnotavit (Bibl. Realwörterbuch II, 122) et de Graecorum et de Judaeorum hac in arte progressu tam multa aut tam accurate descripta nostram ad aetatem omnino non pervenisse, ut alterum cum altero populo comparaturi veritatem nos investigaturos certo dicere nobis liceat.

Quid vero de literarum statu atque studio dicendum? Inter duas extremas sententias a viris doctis propositas et a vulgo tunicato haud raro temere acceptas mediam viam ingrediendam esse puto.

Alteri enim contendunt, omnia, quae in scriptura sacra legantur, ex inspiratione emanasse. Hi sibi persuaderi posse omnino negant, spiritum sanctum alio atque mechanico modo mentes atque ingenia scriptorum sacrorum ad scribendum impulisse. Sic, ut aliquo utar exem-

plo, Quenstedtius aeque ac ceteri dogmatici veteres ecclesiae nostrae contendit, solum deum, si quis accurate loqui velit, scripturae sacrae auctorem esse dicendum, ne prophetis aut apostolis quidem hoc nomen tribui posse nisi per catachresin, utpote qui solius dei calami et spiritus sancti dictantis notarii fuerint. Quam sententiam qui vovent, quid mirum, quod et ipsi contendunt, λαλίας propheticae et apostolicae objectum non tantum esse summa fidei mysteria, aut quae ad fidem salvificam directe faciant, quasi haec tantum scripserint sancti dei homines ex inspiratione, verum etiam reliqua, sicut historica, moralia, naturalia, in universum omnia, quaecunque in scriptura sacra contineantur. (Hase, evangl.-protest. Dogmatik 1860, p. 380 squ. Luthardt, Compendium der Dogm., p. 230 squ.)

Qui quo inspirationis adeo verborum ac vocabulorum progressi sint, docuit nos quondam Franziscus Delitzschius, qui perhibuit, non defuisse, qui vocabulum אֶרֶץ ab radice רוּץ derivari vellent, tanquam si scripturae sacrae systema illud mundi astronomicum, quod a Copernico originem trahit, notum jam fuisset. Hi porro, ut alio utar exemplo, formam dualem in vocabulo מַיִם inde volunt intelligi, quod Hebraei jam formulam notam habuerint „OH“, qua viri nostrates rerum chemicarum studiosi ad materiem aquae breviter significandam uti consueverint. Opus non est, ut virium contentione hujuscemodi dicta atque opiniones rejicere conemur. An frustra deum dixisse credas ea, quae in geneseos I, 26—29 legimus? An scriptura sacra, quippe quae ipsa nil nisi liber salutis aeternae velit ducenda esse, genus hominum impedire vult, quominus certe sciendo, accurate observando, acute cogitando, recte

philosophando dominium atque imperium totius terrae indies magis sibi acquirat acquisitumque obtineat? (Luthardt, Vorträge über die Moral des Christentums, p. 158 squ. Oersted: Geist in der Natur 1851.)

Alteri autem parum scientiae ac sapientiae in scriptura sacra inesse contenderunt. Memoria adhuc tenemus, quam vehementer de locis Jos. X, 12, 13 et de singulis V. T. miraculis disceptatum sit. (Christlieb, Moderne Zweifel am christlichen Glauben, p. 367—382.) Multi, eruditione ac scientia temporis recentioris referti sua ipsorum eruditione atque cultura aetatis adeo superbiunt, ut simplicem quidem ac sublimem stilum scripturae sacrae ac genus dicendi negligendum esse putent atque quae scriptura sacra ad literas quoque promovendas atque augendas omnia omni aetate fecerit, si non nihili, at parvi faciant. Quamobrem Luthardtus suo jure demonstravit, hujus potissimum aetatis quasi effigiem ac speciem in eo conspici, quod permulti studeant, vincula illa homines cum deo atque mundum inferiorem cum mundo superiore conjungentia dissolvere, religionem christianam ex finibus vitae humanae expellere, expulsam non nisi rem privatam aestimare, in rebus terrestribus, quamvis fluxis ac fragilibus, omnem operam, studium, cordis amorem collocare. (Luthardt, Die modernen Weltanschauungen und ihre praktischen Consequenzen, p. 13.)

Suo jure etiam Martensen in libro: Christliche Ethik, allgem. Teil, p. 12 squ.) inter ethicam autonomicam et theonomicam statuit discrimen. Multa et praeclara hac de re inveniuntur etiam in libro Kahnisii: Der innere Gang des deutschen Protestantismus, pars II, p. 302—313, quae si copiosius exponere vellem, ne dies deficeret, esset metuendum.

Ne igitur longius de proposito aberremus! Iterum potius quaeramus, qualis apud Judaeos fuerit status literarum.

Quam ad quaestionem salva conscientia respondere nobis licebit, haud pauca iń scriptura sacra certis quibusdam sententiis repugnare aetatis nostrae studio, literis, argumentis demonstrative stabilitis. Verum est neque ullo modo potest negari, Judaeos, quae ratio e. g. inter peripheriam et diametrum circuli neque mathematica neque arithmetica ratiocinatione repperisse. Namque ex loco I. Reg. VII, 23 (cfr. 2. Chron. IV, 2) eos putasse intelligitur, inter has duas res talem intercedere rationem, qualem invenias inter numeros 1 et 3. Nec magis viri ingenio Euclidis aut Pythagorae ingenio praediti inter eos exstiterunt. Neque ea theoremata, quae ad trianguli naturam (theorema Pythagoraeum) neque quae ad parallelogramma mathematicum aut physicum (parallelogramma virium quod dicitur) pertinent, eis nota fuerunt. Quid vero hoc refert? Ejusmodi errores nonne ubique gentium nobis obviam occurrunt? Nemo contendat propterea quod de musica sphaerarum somniatos esse Pythagoraeos constet, aut nihili fere aestimandos aut contemnendos eos esse. Nec magis quisquam totam Graecorum culturam atque eruditionem minoris aestimet quia Empedocles philosophus *τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα* in libro *περὶ φύσεως* scripto puerili, ut ita dicam, simplicitate docuit (Ueberweg, Grundriss der Geschichte der Philos., tom. I, p. 66) nec quicquam scivit, quod puerili nostrae aetatis in ludis apud magistros rerum naturalium studiosos discere solent, plus septuaginta esse elementa i. e. corpora atque materias, quae, quoad homines intelligunt, non simplicia nominari non possunt, cum diversis ex substantiis composita esse non jam videantur. Certum est, Judaeos pariter atque Aegyptios, Assyrios,

Chaldaeos, immo vero Graecos terram medio in spatio totius mundi sitam duxisse, atque opinioni, quam nuncupant geocentricam, indulsisse. Qui vero inde quod metaphorice de finibus et angulis terrae in scriptura sacra V. T. agitur (Jes. XI, 12) concluderet, eos eam pro quadrata aut quadrangula habuisse, is in maximo versaretur errore. Tum enim pari jure ex loco Jerem. XLIX, 36 concludi liceret, et ipsum coelum triangulum aut quadratum eis visum esse, quae res vel stultissimo homini absurda esse videretur, quia coelum ut hemisphaerium undique conspicitur. Ceterum etiamsi concedimus deum se revelantem omnibus eis sententiis, quae variis temporibus de structura mundi sideribusque coelorum inter homines rectae circumferebantur, se accommodavisse, tamen etiam a Judaeis de hujuscemodi rebus naturalibus ac mundanis multa recte cogitata et observata esse, compluribus gravissimis causis potest probari. Neque enim inde quod in vetere testamento id non agitur, ut de illis rebus quam plurimum disseratur, concludendum est, hominibus illius aetatis permulta non fuisse nota. Cavendum est porro, ne ex eo quod in V. T. tantummodo siderum Ursae majoris, Orionis, Plejadum, Zodiaci mentio fit, Judaeos haec sola nec vero etiam alia cognovisse sidera concludatur. Quapropter mirandum non erit, quod pristina fides christiana eorum, qui rebus naturae perscrutandis sese dederunt, Copernicorum, Keplerorum, aliorum divinitatem atque sublimitatem revelationis V. T. agnovit nec non laudibus praedicavit. Atque si ab ratione eorum prorsus alieni sumus, qui Haeckelios aliosque, divinam hominum originem negantes propter id ipsum laudandos esse censuerunt, cum nonnisi hac ratione vera eruditio progredi possit (Haeckel, Natürliche Schöpfungsgeschichte 5. edit. p. XX, XXXV squ.),

tamen magno gaudio agnoscimus, his etiam diebus non deesse viros in studio rerum naturalium strenue atque assidue occupatos, quos neque pudeat neque taedeat, se credere verbo divino, asserere, qui non negent nullam historiam aeque dignam esse, cui homines studeant quamque iterum perlegant, ac descriptionem mundi creati in V. T. nobis obviam. Denique nisi jam Israelitae in vario literarum genere tantum profecissent, quantum eos profecisse nobis persuasum est, unde intellegeremus, qui fieret, ut hellenistica aetate cum in aliis disciplinis, tum maxime in philosophia religionis alexandrina literae Graecorum et Judaeorum intime cohaererent?

Quae quoniam exposuimus, facile erit intellectu, magnum discrimen inter Judaeos atque Graecos fuisse. Semitae enim hoc principium: *Λάθε βιώσας* in omnibus fere rebus, quae ad vitae publicae partes varias spectant, sequuntur, Japhetitae secundum promisssionem a deo acceptam (Gen. IX, 27) in rebus externis explorandis et perscrutandis occupati huc illuc semina lucis serere atque quasi in conspectu totius orbis terrarum et coram coetu multarum nationum summum eruditionis humanitatisque acumen student assequi. Semitae, qua erant facultate, in mysteria atque arcana religionis sacra penetrandi, in interiores atque absconditas quasi regiones animi sese recipiunt eo consilio, ut quae hic de rerum divinarum humanarumque natura accepturi essent, intus audirent pïssimaque conscientia reciperent, principia fidei proferrent, demonstrarent, stabilirent. Graeci vero pro suae indolis naturaeque proprietate id egerunt, ut via dialectica philosophice cogitando, ingenii acumine, per inductionem atque experientiam omnia quae in rebus visibilibus arcana, occulta, secreta esse putarent, declararent, exponerent, aperirent.

Nec vero inde concludi licet has propter causas Graecos omnia, Judaeos nihil ad literas promovendas fecisse. Neque enim quid, sed quomodo Judaei literas excoluerint, deliberandum erit. Verum est, eos literas liberales non auxisse rebus acute inventis. Neque nos hoc negamus. Nec vero magis infitiamur, totum hominum genus huic populo literarum sanctionem, studiorum nobilitatem, amplitudinem et magnitudinem causarum ab omni humilitate remotissimarum, sublimitatem finium atque scoporum, principiorum, ad quae recurrendum videtur, ut ita dicam, divinitatem, denique non lumina quidem naturae, sed gratiae debere. Iam unde filum deductionis deduximus, huc revertamur! Quae omnia quoniam de terrae populique situ, de lingua, de artibus literisque ab eo excultis exposuimus, ad illam quam proposuimus supra quaestionem facilius jam erit responsu, utri generi populorum populus Judaeorum adnumerandus sit, eorum qui, nisi omnino exstitissent, historia haud dubie non aliter esset promota, aut eorum, quorum ingenio genus hominum multa debere videtur, quae domi militiaeque atque in omni genere vitae publicae ac privatae feliciter provenerint?

Nec vero dicere poterimus, hunc populum humanitate atque cultura vacuum atque prorsus perversum ac stultum fuisse, id quod nonnulli contendere ausi sunt, (e. g. Ballenstedt in libro: Philo u. Johannes oder neue philosophisch-kritische Untersuchung des Logos beim Johannes. Braunschweig 1802.) Haec sententia omni ex parte cum eis repugnat, quae supra fusius exposuimus. Nec vero vovere poterimus hanc sententiam, tanquam si talis evaserit populus, quales ceterae, quas nominavimus, nationes. Neque enim per arma insignes reportavit victorias ab aliis nationibus neque literis artibusque libera-

libus plurimum valuit; neque cultura industriae aut negociis commercii principalem locum inter populos antiquis obtinuit temporibus. (Zöckler, Handbuch der theolog. Wissenschaften tom. I, p. 227).

Hic populus igitur neutri generi populorum soli adnumerandus est. Utriusque generis multas sibi acquisivit proprietates. Multum nimirum refert, utra ex parte nos quidem rem contemplemur. Quodsi, qualis populus natura fuerit, dicendum erit, aliud respondeas oportebit ac si dicturi sumus, qualis evaserit populus dei gratia. Natura neque terra, quam incolebant, neque lingua, qua utebantur, neque artibus, quas colebant, neque literis, quibus studebant, neque legibus, quibus morem gerebant, potuit fieri, ut eximias partes regnandi inter gentes aut suscipere aut obtinere Israelitae possent. Haec fuit dei quoque voluntas. Deus voluit, ut populus ex populis electus (Levit XX, 24—26) inter gentes esset earumque magnitudinem atque amplitudinem externam appeteret, tantum abesse, ut per multa saecula a ceteris nationibus sejunctus pro sua ipsius peculiaritate religionem ei revelatam vitamque cum ea intime conjunctam excolerent. Quae sententia, quae ad rationem historiae describendae theologicam pertinet, eximio sono efferatur velim. Henry Thomas Bukle in libro inclitissimo: Geschichte der Civilisation in England, (deutsch von Arnold Ruge, tom II, p. 579 squ.) hanc proposuit sententiam, tamquam si idea gubernationis divinae in historia mundi immanentis non nisi ex stultitia et perversione „theologorum“ emanaverit, immo omniscientiae dei sit ignominiae. Cuncta enim, quae fiant, secundum leges aeneas atque immutabiles fieri. Theologicam tantum stultitiam in loco illarum legum deum deique providentiam collocavisse, quae quovis temporis momento ea, quae a

priori immutabilia et sint et fiant, mutare putetur. Nec alioquin desunt aetate recentiore, qui omnia ex causis externis aut in natura terrae aut in moribus populorum aut in caeco ac fortuito connexu rerum gestarum sitis non modo declarari et explicari velint, verum etiam explicare et declarare posse sibi videantur. Qui qua ratione historiam Judaeorum intelligant, me quidem latet. Nam in ea a priori omnia sunt a Deo exorta. Historia est miraculis signisque divinis consignata. At multi ab his, quae mentem hominum supercedunt, miraculis abhorrentes eam non intellexerunt. Sufficiat nominavisse H. Leo, qui permulta ex fraude antistitum deducere studet, immo Ewaldum, qui, quamvis in inclitissimo opere de historia Israelitarum composito omnia ad vivum resecare velit, tamen haud pauca divinae originis specie orbat. Sufficiat nominavisse recentiores historiae Judaeorum auctores Graf, Kuenen, Seinecke, Wellhausen, Stade, Reuss, qui scriptores demonstrare studuerunt, ex principiis simplicissimis ultro ortas esse res formasque multiplices historiae illius populi (Zöckler, l. c. p. 258 squ). At non desunt etiam, qui, ut quae Dei auxilio mirum in modum Judaeos perpetrata sint, negent, tantum abest, ut ea agnoscant intimo pectore, qui si divinam hujus historiae originem non agnoscerent, ne sol in coelo extingueretur metuerent. Sufficiat nominasse Hengstenberg, Hofmann, Kurtz, Hasse, Köhler.

Nec profecto hoc miror. Multae quidem proferri possunt causae propter quas in historia judaica specialissimam dei providentiam ad lucem prodire apparet. Sed paucae tantum tam graves sunt atque tanti momenti, quanti haec res, de qua hac in commentatione nobis proposuimus disputare. Unicuique persuadeatur oportet, deum hanc gentem peculiarem in modum gubernavisse, si considera-

verit, qua ratione in ejus historia, si his vocabulis recentioris latinitatis mihi licet uti, particularismus et universalismus ad unitatem confluxerint. Res est, quam admiremur dignissima, quod hic populus lege, lingua, institutis, moribus, toto populi genio, montibus, mari, desertis, denique dei voluntate a communicatione ceterarum gentium exclusus atque sejunctus, postquam in solitudine terrae exiguae ad mare mediterraneum sitae suae religionis revelatae formas ac sententias excoluerit atque quodammodo in succum sanguinemque verterit, ultimis a. Chr. n. saeculis, quo magis tempus salutis per Messiam afferendae appropinquaret, eo plura cum eo populo communia habere incepit, qui potestate civili diruta in ditionem Macedonum subactus ab illo inde tempore usque ad hoc momentum temporis sua cultura, sua humanitate, sua philosophia, sua arte gentes terrae implere nondum desiit, cum populo Graecorum.

Iam ad singula transeamus! Usque ad id tempus, quo Salmanasserus, rex Assyriorum, Judaeos in exilium abduci jussit, quae res permultum jam ad externam rerum judaicarum condicionem funditus evertendam fecit, Judaei religionem ac cultum a Mose iis oblatum in universum obtinuerunt. Negari quidem non potest, eos eis etiam saeculis semel atque iterum, immo vero sexcenties aris unius dei perfide desertis ad cultum deorum fictorum defecisse. Neque tamen haec realis quaedam atque interna cum his populis communio fit. Nec hoc mirum. Nam praeterquam quod illae gentes, quibuscum aut bellando aut negociando aut cultu deorum falsorum accepto conjungebantur, in literis philosophicis, in artibus, in aliis rebus ad sublimiorem hominum vitam pertinentibus haud plus quam ipsos profecisse non nesciebant et ipsorum meliore

et sinceriore fide religiosa et blasphemiis populorum ethnicorum nefariis prohibitum est, quominus desiderio corriperentur eruditionis literariae illarum gentium qualiscumque erat, cum suis sententiis religiosis commiscendae. Huc accessit quod, cum ceterae nationes in viis propriis ab eis ipsis electis ingrederentur, quae natura in se peculiariter inesse putarent, explicaturi et promoturi Judaeos ut *σπέρμα τοῦ Ἀβραάμ* quem deus ipse elegerat et vocaverat (Jes. LI, 1) coelestibus nec vero terrestribus rebus *λαὸν τοῦ θεοῦ* evadere ceterisque nationibus opponi deus voluit. (Deut. XXXII, 6.) Non omnia possum enumerare, quae ad populum dei a conjunctione populorum excludendum pertinent. Quamquam inde ab initio in historia Judaeorum salutem omnibus destinatam praeparari debuisse, hoc loco id eximio sono efferre, non alienum erit. Nimirum omnes gentes terrae in semine Abrahami benedictionem divinam adipisci deus voluit. (Gen. XII, 3; XVIII, 28.) Ut supra demonstravimus, ad Caroli Ritteri verba provocantes, terram promissam et a gentibus exclusam et eisdem apertam fuisse, terram voluntati dei prorsus adaptatam, sic etiam judicium facere debemus de populo. Populum etiam et a ceteris populis sejunctum et cum eis conjunctum esse necesse fuit, si deus, quam salutem populis afferre constituerat, eam propagari voluit. Apud Judaeos solos non manere salutem sed ex eis provenire voluit Deus. Sic etiam Jesus Christus rem declaravit. Qui si in illo colloquio cum muliere Samaritana habito (Joh. IV, 22) *ὅτι ἡ σωτηρία*, inquit, *ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστιν*, hujuscemodi verbis salutem aeternam historice et judaice quidem destinatam esse nec vero dicturus fuit, nullam aliam gentem nisi judaicam ejus fore participem. Quae res expositione grandi illa atque sublimi probatur, qua Paulus apostolus Rom XI. omnes fere po-

pulos ethnicos stirpi judaicae insertum iri praeclare ac dilucide vaticinatus est. (Luthardt, das johanneische Evangelium 1852 1. Abtheilung, p. 399 squ.)

Quae Judaeorum cum ethnicis populis conjunctio fieri iam coepta est inde ab illo tempore exsilii assyriaci. Tum incepit *διασπορά*. Quo vocabulo ex LXX; Deut. XXX, 4; Ps. CXLVII, 2; Jes. XLIX, 6 deprompto Judaei extra fines terrae promissae incolentes ita significantur, ut, siquidem rationem habueris Exod. I, 27, eandem habeat vim et significationem, quam vocabulum hebraicum גּוֹלָה, quo Judaeos *δουλεύοντας ἐν τοῖς ἔθνεσι* fuisse exprimitur.

Nusquam ergo nisi in terrae promissae finibus ipsis proprie sedes habent et domicilia. Procul ab his finibus nonnisi *παρεπιδήμιοι* (1. Petr. I, 3) ducuntur. Quapropter si quis vocabulo *διασπορά* utitur, non tam, quibus in regionibus, quam quo in statu atque conditione historice condicionata versati sint Judaei, significat. Qui status exsilii inde ab illo exsilio assyriaco usque ad hunc ipsum diem nondum esse desiit. (Oehler, Herzogs R.-E., tom. VII, p. 203.)

Haud multo post secutum est exsilium babylonicum a. 588 a. Chr. n. quod maximi fuit momenti atque ad conjunctionem Judaeorum cum ceteris quibusdam gentibus plurimum fecit. Licet enim Judaeis in terra Babyloniorum versantibus ut domos redirent, permitteretur a Cyro rege Persarum, tamen non plures quadraginta duo milia Judaeorum aras focosque domesticos expetiverunt. Plerique eique ditissimi in regno babylonico remanserunt. Sed hi quoque ut illis in locis, quae obtinebant, semper manerent, tantum abfuit, ut urbibus transeuphratensibus campisque feracioribus vehementius allecti orientem et meridiem versus usque ad felicem Arabiam, quam dicunt, itinera

facerent ibique considerent. Haec nobis inflammatione animi impletus atque stilo oratoris usus perhibet Philo. (Mangly, ad Cajus II, 487.)

Qua in dispersione nonnulla jam accepit religio Judaeorum incrementa. Unum dumtaxat exemplum hujus rei argumentum proferre mihi liceat: Quod Judaei doctrinam de diabolo daemonibusque positam a Persis accepisse creduntur (Winer, Bibl. Realwörterbuch, Art.: Satan) quamvis nos quidem nunquam largiamur nec possimus largiri, quia inde ab initio immo in primis V. T. foliis de diaboli daemonumque mundo atque influxu disertis verbis non agi nobis a nullo persuadebitur (Delitzsch, Commentar über die Genesis ed. III, p. 163 squ.), tamen hunc eundem de diabolo daemonibusque locum ex parsismo quem dicunt incrementa quaedam cepisse, ne cautissimi et sagacissimi quidem antiquitatis investigatores negare ausi sunt. (Kahnis, Lutherische Dogmatik, tom. I, pag. 315; Martensen, Die christliche Dogmatik. Berlin 1856, p. 179.) Contra Luthardtus omnem parsismi hanc in doctrinam influxum negat. (Compendium der Dogmatik, ed. II, p. 101.)*)

*) Hac de re judicium omnia complectens facere eamque ad vivum resecare, perquam difficile est. Sin vero liceat meam sententiam modestissime eloqui, dixerim, Luthardtum cum ne minimum quidem parsismi influxum concedat, in suo jure non esse. Nam et jamdudum et denuo nuperrime ex libro Herderi a. 1775 composito: Erläuterungen zum neuen Testament aus einer neueröffneten morgenländischen Quelle: Zend-Avesta, ouvrage de Zoroastre, et morales de ce législateur, les cérémonies du culte religieux, qu'il a établi etc. Traduit en français sur l'original Zend avec des remarques par Mr. Auquetil du Perron Paris 1774, mihi haec sententia obviam ivit, nonnulla dumtaxat incrementa accipere illam de diabolo doctrinam potuisse. Quem librum legentem resque in eo prolatas mecum reputantem me magna voluptate

At etiam cavendum est, ne hoc nomine in hyberbolas incidamus. Neque enim obliviscendum est, quamquam externa eorum condicio non tam tristis fuerit (Jerem. XXIX, 5—7; Heinr. Leo, l. c. p. 168) tamen fuisse, cur Israelitae patriae pristinarumque virtutum memores tristitiae luctuique sese dederent (Psalmus 137) ac sperantes, fore ut (Jerem. L) regnum babylonicum a domino potentiore et fortiore dirueretur ac deleretur, ab intima cum hoc populo conjunctione abhorrerent. Fuit enim similis hic populus ejus conjugis, quae quamvis ex connubio missa tamen alii nubere vetita esse sibi videbatur. (Hos. III; Jes. I, 1; Oehler in Herzog: R.-E., tom. VII, p. 193 squ.)

Sed altera fuit etiam diaspora, quae summa animi attentione adumbretur perquam digna. Haec est *διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων*. Cujus audimus mentionem facientes Judaeos in evangelii Johannis VII, 35. Quas terras haec dispersio complexa est? Cum in terris ad mare mediterraneum adjacentibus in Syria, in Asiae minoris ora maritima, in plurimis illis, quae pontis instar natura exstructi litora Graeciae cum litoribus Asiae minoris conjungebant, insulis, in Cypro, Creta, Delo, Euboea, denique in Graecia, immo in regionibus nonnullis Italiae, tum inprimis vero in Aegypto Judaeos dissipatos fuisse scimus. Ante omnia autem in Aegypto, inprimis in capite hujusce terrae antiquissima cultura inclitae revera et proprie intima et arctissima inter Judaeos Graecosque conjunctio facile fieri

---

affectum esse quamvis non possim quin fatear, tamen non is sum, qui contendam, eum nil nisi vera continere nec auctorem interdum terminos veritatis justo longius supercessisse putandum esse. — Ceterum mihi tota haec quaestio inde dependere videtur, num et qua ratione quaestiones literarum pentateuchicae solvantur tempore futuro.

potuit. Nam praeterquam quod haec urbs ita sita erat, ut inter occidentales et orientales regiones conciliandi partes suscepisse videretur, Alexander eam olim nulla alia causa motus exstruxerat, nisi ut ibi Graecorum eorumque qui orientem versus habitarent eruditio atque humanitas ad unitatem quasi confluerent. Ibi inde ab initio urbis conditae Judaei habitaverunt. Inde in Lybiam Cyrenaicam Ptolemaeo Lagi regnante transmigraverunt. Ibi eadem tutela eodemque jure civili quo Graecos usos esse eos testatur Josephus (contra Apionem II, 4). Sed omnino multum intersit comperire, quam late huc illucque dispersi fuerint Judaei ultimis a. Chr. n. saeculis.

Cujus rei tres testes nobis liceat inducere. Primus testis est Strabo, qui Tiberio imperatore vixit illoque tempore XII *γεωγραφικῶν* libros inclitos scripsit. Cujus de hac re verba haec sunt: *Εἰς πᾶσαν πόλιν ἤδη παρεληλύθει καὶ τόπον* scil. populus Judaeorum, *οὐκ ἔστι ῥᾳδίως εὑρεῖν τῆς οἰκουμένης ὃς οὐ παραδέδεκται τοῦτο τὸ φῦλον μηδ' ἐπικρατεῖται ὑπ' αὐτοῦ*. Quo ex testimonio apparet, non hyperbolice dictum esse, totum orbem terrarum tunc notum ab hoc genere non tam habitatum quam occupatum fuisse.

Alter testis est Cicero, qui in capite XXVIII orationis pro L. Flacco habitae non sine aliquo odio ingentem multitudinem Judaeorum inter ceteros peregrinos Romae habitavisse ait ab eisque magnam copiam auri argentique ex Italiae regionibus quotannis pariter atque ex plurimis provinciis Hierosolyma exportari solere non nescit. Quae verba quamvis, cum Cicero odio et timore una impletus Judaeorum, in universum ad sententias rhetorice et hyberbolice proferandas proclivis esset, cum grano salis, ut ita dicam, intelligi necesse sit, tamen in propatulo est, Judaeos

illo tempore divitiarum cupidissimos in regno Romano permultos fuisse. Tertio loco testem nominamus Philonem. Quem si de coetu sui populi ubique gentium habitantis et ipsum rhetorice rhetorica verba facientem audiveris, non Romanos, sed Judaeos mundum suae subjecisse potestati, nec Romam, sed Hierosolyma caput esse omnium terrarum facillime credideris. Locus quem dico invenitur in editione Mangeyana II, 587 atque his incipit verbis: *Αὕτη* inquit *ἐμὴ μέν ἐστι πάτρις, μητρόπολις δὲ οὐ μιᾶς χώρας Ἰουδαίας, ἀλλὰ καὶ τῶν πλείστων διὰ τὰς ἀποικίας ἃς ἐξέπεμψεν ἐπὶ καιρῶν εἰς μὲν τὰς ὁμόρους, Αἴγυπτον, Φοινίκην, Συρίαν κ. τ. λ.* Sic igitur ex finibus promissae terrae expulsi castra posuerunt fere in omnibus terrae regionibus.

Hoc extremum fuit fundamentum, quo Judaeorum cum populis ethnicis commercium societasque suffulciebantur. Jam haec dispersio „localis", ut ita dicam, maximi fuit momenti. Est enim aliquid, si totus populus ab cultura saeculorum per multa saecula abhorrens subito medias inter gentes longius et altius provectas domos suas habet. Nullo alio modo confricatio ingeniorum conflari potuit nisi ita ut populi a populo electo et vice versa ne locis finibusque quidem discinderentur. At forsitan quispiam quaesiverit, num facillime fieri non potuerit, ut Judaei, quippe qui medias inter gentes habitarent, tali communicatione a sua ipsorum re deficerent seque perderent?

Quid dicendum est?

Qua de re si judicare volumus, nobis genius totius aetatis peculiaresque populi Judaeorum virtutes ac vitia adumbranda erunt. — Sed ne sic quidem quaestio uno verbo solvi licet.

In universum asserendum erit, nostrum populum haud

exigua aliena sibi assumendi facultate praeditum fuisse. Nec vero mirabimur, si observaverimus, inde varios modos emanavisse inter gentes vivendi. Age! rem accuratius exponere conemur!

Alexander Magnus ad literas Graecorum cum studiis ceterarum gentium quasi inserendas permultum fecerat Cujus vita quamvis brevissima esset, tamen eas res quibus studuit, ratas fecerat. Primum enim fieri non potuit, quin victoriis triumphisque ab gentibus orientis reportatis res publicae dominationesque civitatum vehementissime percuterentur. Deinde vero omnium fere saeculorum experientia docet, una cum eversione atque transmutatione rerum publicarum omni fere tempore sententias quoque philosophicas, morales, religiosas, in aliam quasi viam dirigi. Cujus rei multa et antiquis et recentioribus temporibus exemplo praebet historia et mundi et ecclesiae. Sic etiam factum est ex aetate Alexandri Magni. Inter totam Graecorum culturam et eas sententias diversas, quas diversi populi usque ad illud tempus voverant, pugnari et acerrime quidem pugnari coeptum est. Utra utri praeferenda esset opinio universalis, quaerebatur. Inter duo inter se maxime diversa, immo contraria principia pugna exarsit. Nulla gens eam fugere potuit. Hac de nova res judicandi et philosophandi, credendi et vivendi ratione sicut omnes populi, ita etiam Judaei transigere debuerunt. (Georgii in Illgen's Zeitschrift 1839 p. 33 squ.) Quid quod hi ante omnia hanc in rerum ac sententiarum disceptationem se implicatos viderunt. Ad ipsorum fines pugnae illae in quibus de dominio mundi certatum est, pertinuerant. Si non in ipsa Judaea at in regionibus illi provinciae proximis multas in urbes Graeci aut deportatione aut sua sponte migraverant ibique domicilia constituerant, et consederant. Quae

urbes ab eis habitatae (2. Macc. VI, 8) *ἀστυγείτονες πόλεις Ἑλληνίδες* appellantur. Quarum in numero ducendae sunt hae: Scythopolis, urbes illae decapolitanae, quae dicuntur, Paneas, Ptolemais, Dora, Caesarea, Apollonia, Joppe, Jamnia (Zöckler, l. c. p. 286).

Dubium non est, quin in lingua alicujus populi tamquam in spectro maxime proprias ejus peculiaritates accurate conspicias. Eadem lingua autem quae populus sentiat non solum exprimitur, sed etiam idearum huc illuc dispersio efficitur. Non igitur mirum quod cum in omnibus rebus publicis ac forensibus lingua Graecorum sola [illegible]te alexandrina utendum esset, mox interna etiam idearum illius populi scientia apud Judaeos orta atque spiritualis utriusque nationis conjunctio magis magisque annexa est. Quod eo facilius fieri et potuit et debuit, quod non solum extra fines terrae promissae in *διασπορᾷ*, verum etiam in Palaestina, quin adeo Hierosolymis ipsis vita Graecorum magno opere ad Judaeorum vitam pertinuit. (Oehler [v. Orelli] in Herzog, R.-E. VII, p. 203.)

Quales partes illo in certamine idearum ac sententiarum diversarum Judaei susceperunt?

Inter tria genera hominum discrimen hoc nomine erit [illegible]endum.

Permulti nimirum fidei unius dei a majoribus acceptae polytheismum Graecorum ullo modo praeferre eo magis dubitaverunt, quod quantam quamque sanctam per multa saecula toti populo attulisset utilitatem, non nesciebant. Hi religionem patrum genuinam conservari neque ullo modo pietatem observantiamque legis divinae aut minoris aestimari aut obscurari voluerunt. Huc accedit, quod, cum vaticinia prophetarum audiri desiissent, genius nimis subjective res sententiasque religionis intus suscipiens easque

mente sola complectens in universum animis potiri et principatum quasi obtinere coeperat. Qui genius si jam in libris eorum prophetarum invenitur, qui exsilio ad finem vergente vaticinia pristinorum temporum perrecturi eorumque filum tanquam denuo excipere videbantur, quanto facilius fieri potuit, ut idem genius in aliorum virorum animis formam atque speciem merae doctrinae subtilitatisque piae indueret. Utique perfacile est intellectu, hunc doctrinalismum, quem dixerunt, cum apud Judaeos Palaestinenses, quos et ipsos influxu sententiarum universalium Graecorum cinctos fuisse supra demonstravimus, tum vero inprimis apud eos Judaeos, qui in coloniis dispersionis legibus atque institutis bene ordinatis habitaverunt, plurimum valuisse. Quorum haud pauci, qui ex alienarum sententiarum pugna ac certamine inferiores excedere noluerunt, quominus cultura, humanitas, eruditio Graecorum sibi justo nimiam injiceret admirationem, id eo optime prohibere sibi visi sunt, quod verba scripturae sacrae nimis anxie explicarent nec sensum literalem tantum prementes, quid rei in verbis inesset, nimis anxie respicerent. (Kahnis, Luth. Dogmatik, tom. I, p. 314, 315.)

Nec vero etiam defuerunt ab altera parte, qui novo atque insueto eruditionis graecae splendore vehementissime allicerentur atque amoenitatis et venustatis admiratione corriperentur. Qui legem Mosaicam neglexerunt, tanquam jugum eis impositum excusserunt, mores Graecorum, quos omni vitae victusque genere multo magis excultos expolitosque videbant, palam acceperunt, sibi ipsis graeca indiderunt nomina, eo insolentiae atque immodestiae legis divinae processerunt, ut a foedere cum Abrahamo icto palam deficerent et circumcisionem prorsus contemnerent, rejicerent, abolerent. (1. Macc. I, 11—15; praecipue ver-

sus 19.) Cujus rei descriptionem singularem singulis eisque luculentis exemplis illustratam e. g. invenimus in libro Theodori Keim: Geschichte Jesu von Nazara, tom. I, p. 209 squ. Quo in libro auctorem quamvis et ipse non alienus sit ab ratione eorum, qui Jesum Christum haberi volunt non nisi hominem qui ipse demum messias esse constituerit, cum, se messiae provinciam suscepisse ei neutiquam inde ab initio persuasum fuerit (l. c. p. 543), tamen et aliter atque Schenkelium aliosque magis pie magisque historice vitam Jesu descripsisse et singularem et eximiam amplitudinem rerum singularum ad hanc vitam mysteriis grandibus impletam pertinentium protulisse totumque opus exornavisse mea ex sententia facile intelligi licet. Jam hoc loco illius descriptionis mentionem faciam, quae ad eam, quae inter Judaeos ac paganos ultimis a. Chr. n. saeculis intercedebat rationem pertinet. Keimius autem l. c. perhibet, Judaeos omni fere genere vitae, negotiis, commerciis, connubiis, navigationibus, multisque rebus, quae ad agros colendos, ad artes exercendas, ad labores multivarios perpetrandos, immo ad foedissimas corporis voluptates pertinent, cum Graecis intime conjunctos fuisse. Quod qui meminerit, quantumque illecebrae reapse in universum apud plerosque valeant secum reputaverit, is quid fuerit, quod tantus Judaeorum numerus profugarum instar in dies a sua suorumque fide defecerit, non ita mirabitur. Qua de re et Philo alexandrinus magna cum vociferatione questus est. Quid quod ipsius nepotem Tiberium Alexandrum qui postea Claudio imperatore provinciae Judaeae praefectus est, ad castra paganorum perfugientem non videre non potuit. (Keim, l. c. p. 210.)

Hae sunt duae eaeque maxime variae res, quae ipsum in conspectum venerunt. Alteri superstitionis

catenis atque vinculis quodammodo vincti quaecumque in libris V. T. legebant, ita interpretanda sibi putaverunt, ut verbis pressis literalem tantum sensum proferrent, earum, quae inessent rerum rationem omnino non habentes. Alteri semel eruditione culturaque Graecorum delibata a se impetrare non potuerunt, ut sibi ipsis imperarent. Hi desiderium libidinosum temperare neque voluerunt neque potuerunt. His duobus autem hominum generibus tertium genus adjiciendum est. Inter utrumque extremum mediam viam incesserunt ei, qui quamvis et ipsi se in contemplandis philosophiae graecae rebus collocarent, ita tamen alienas cogitationes sibi assumpserunt, ut religionem paternam negligere, omittere, posthabere nullo modo viderentur. Haec quoque res neque moribus populi nativis, neque ei condicioni repugnat, in qua versabantur. Infuit profecto eximia peregrinorum cogitationes et intelligendi et in succum et sanguinem vertendi in eis facultas. Quae proprietas populi varias in partes ipsa διασπορᾷ exculta est. Sicut enim in privatae etiam vitae condicionibus facile fit, ut, quo quis diutius omni literarum cultu indiguerit, his impedimentis e medio sublatis, eo ampliorem atque uberiorem in literis pertractandis operam collocare soleat, quemadmodum porro, quo quis ardentiore siti cruciatus per loca deserta iter fecerit, eo flagrantiore cupidine aut ex undis rivi claris aut ex limpido fonte ei obvio hauriet sitimque ardentissimum pellet: similem in modum apud Judaeos etiam dispersos factum est. Per tantum temporis spatium hi quoque per loca deserta sensu spirituali iter fecerant ab omni cultura et eruditione ceterarum nationum exclusi. Jam, tota civitatis structura converso subito inter peregrinos populos ad altiorem culturae ut, versalis gradum provectos versati sunt. Num mirum fer-

quod, cum philosophiae cogitationes impetu tam irresistibili eos aggrederentur, in sententiis atque doctrinis novis atque inauditis quam cupidissime se suumque studium collocare nec non ea, quae ipsi a majoribus tradita haberent aut a deo coelitus revelata scirent cum eis sententiis de industria conferre inceperunt, quae ingeniorum philosophicorum procreatione exorta esse dicebantur.?

At, fortasse quispiam dixerit, difficile esse intellectu, quomodo Judaei, quippe quos sua religione superbientes*) inde ex tempore exsilii potissimum falsos deos populorum semiticorum rejecisse constet, in ipsorum patria, sententias religiosas Graecorum tanta animi inflammatione accipere potuerint. Sed ea quoque res a nobis clarius intelligetur, si quid dispersio ad animos excolendos fecerit accuratius deliberaverimus. Quamdin in patria erant, alienis nationibus non obedientes, sibi ipsis leges dantes, tamdiu se solos dominos esse rati, quodvis peregrinorum genus, non nisi sui ipsorum ratione habita, contempserunt nihilique aestimaverunt. Cum vero inter peregrinos versari inciperent, se ipsos et olim peregrinos fuisse et tunc esse sibi conscii ut nimia originis fiducia eos ut homines adversarios ab ipsoque deo ejectos refellerent, tantum abfuit, ut contra terram ubique domini esse in eaque permulta hominum genera habitare posse eis persuaderi coeptum esset. Quibus rebus factum est ut Judaei in eis etiam quae ad fidem religiosam pertinent, plura discerent videre, quam unquam in ipsorum patria videre potuerunt. Sic etiam eo ducti sunt, ut et in paganismo et in ipsorum

*) Tac. in hist. V, 5 .... Quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium. Separati epulis, discreti cubilibus, projectissima ad libidinem gens.

religione divinitus revelata nonnulla, quae in utraque religione vere humana essent et argute invenirent et in dies pluris aestimarent. Sic judicant etiam Georgii l. c. p. 34 squ. et Reuss in Herzog: R.-E., tom. V, p. 741; Dr. Graetz, qui recentiore aetate historiam Judaeorum descripsit, nec vero eis vitiis abstinet, quibus Judaei nostrae aetatis, qui in judaismo reformando operam collocant, omnino artem historicographicam maculaverunt. cfr. ejusdem: Geschichte der Juden, tom. III, p. 26 squ: Der jüdische Alexandrinismus.

Quis autem est, quin ex eis, quae adhuc exposuimus, intelligat, his in omnibus rebus sapientiam et providentiam rectoris omnium rerum perquam conspicuam fieri, qui omnes populos terrae magis magisque sibi appropinquare atque inter se conjungi voluit eo consilio, ut salutem aeternam plenitudine temporum apparituram eo facilius acciperent, crederent, intelligerent? Facere non possum, quin fatear mihi tale judicium, quale Ballenstedtius ex coetu rationalistarum exortus in libro jam citato p. 59 fecerit prorsus repudiandum esse. Dico illa verba: Der Plan zur Erziehung dieses Volkes schien recht darauf angelegt zu sein, seinen Geist zu lähmen. (?! sic!)

Exstant vero etiam certa quaedam testimonia literaria, ex quibus usque ad hunc diem quomodo paganismus et judaismus ultimis a. Chr. n. saeculis sese commiscuerint, facile intelligitur.

Cujus rei testimonia singula eaque veterrima jam in illa scripturae sacrae versione reperimus, cui nomen Septuaginta inditum est. (Dähne, Die jüd.-alexandrinische Religionsphilosophie pars II, p. 1 squ.) In eis quae et ad auctores qui verterunt, et ad tempus, quo, et ad rationem, qua ea componi coepta est, pertinent, quamvis permulta

admodum obscuritate operta insint (Fritzsche in Herzog: R.-E., tom. I, p. 281, 289. — Valkenaer: diatribe de Aristobulo, p. 57), tamen quoad sciam a nullo viro critico hucusque in dubium vocatum est haec sententia, nonnullis in locis vestigia philosophiae Platonis premi.

Deinde mentio facienda est Aristobuli, qui intima Philometoris regis familiaritate usus eum sapientia divina V. T. imbuisse dicitur, cujus in fragmento, quod usque ad nostram aetatem venit, eadem syncretismi cujusdam principia nobis obviam occurrunt: Graetz, l. c. p. 34 squ.

Reperiuntur etiam hujus de qua agitur rei nonnulla testimonia in libris apocryphis, cum in aliis, tum vel maxime in libro Sapientiae, cujus auctorem Hieronymo jam teste, nonnulli scriptores veteres Philonem fuisse quamvis perperam contenderunt. (Dähne, l. c. pars II, p. 116 squ.) — de Wette, Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung ed. V, p. 431. — Gfroerer, Kritische Geschiche des Urchristentums pars I: Philo und die jüdisch-alexandrinische Theosophie 2. Abteilung p. 200—250). Dico praecipue haec verba in pagina 274 legenda: Neben den orientalischen Quellen hat Plato's Philosophie einen sehr bedeutenden Einfluss auf die alexandrinischen Juden ausgeübt. Von ihm haben sie die Ideenlehre, die bestimmt bei Aristobul und Philo, in einzelnen Spuren auch im Buche der Weisheit hervortritt. Confer etiam Dähne l. c. p. 152 squ. Eum, qui hunc librum Sapientiae scriserit, quisquis fuerit, non solum eis se applicuisse, qui in suo populo pro sapientibus haberentur, verum etiam a philosophis Graecorum permulta didicisse, ita ut in numero eorum virorum ducendus esset, inter quos Philo Alexandrinus primatum obtineret, etiam Schürer contendit (Herzog, R.-E. tom. I, p. 510.)

religione divinitus revelata nonnulla, quae in utraque religione vere humana essent et argute invenirent et in dies pluris aestimarent. Sic judicant etiam Georgii l. c. p. 34 squ. et Reuss in Herzog: R.-E., tom. V, p. 741; Dr. Graetz, qui recentiore aetate historiam Judaeorum descripsit, nec vero eis vitiis abstinet, quibus Judaei nostrae aetatis, qui in judaismo reformando operam collocant, omnino artem historicographicam maculaverunt. cfr. ejusdem: Geschichte der Juden, tom. III, p. 26 squ: Der jüdische Alexandrinismus.

Quis autem est, quin ex eis, quae adhuc exposuimus, intelligat, his in omnibus rebus sapientiam et providentiam rectoris omnium rerum perquam conspicuam fieri, qui omnes populos terrae magis magisque sibi appropinquare atque inter se conjungi voluit eo consilio, ut salutem aeternam plenitudine temporum apparituram eo facilius acciperent, crederent, intelligerent? Facere non possum, quin fatear mihi tale judicium, quale Ballenstedtius ex coetu rationalistarum exortus in libro jam citato p. 59 fecerit prorsus repudiandum esse. Dico illa verba: Der Plan zur Erziehung dieses Volkes schien recht darauf angelegt zu sein, seinen Geist zu lähmen. (?! sic!)

Exstant vero etiam certa quaedam testimonia literaria, ex quibus usque ad hunc diem quomodo paganismus et judaismus ultimis a. Chr. n. saeculis sese commiscuerint, facile intelligitur.

Cujus rei testimonia singula eaque veterrima jam in illa scripturae sacrae versione reperimus, cui nomen Septuaginta inditum est. (Dähne, Die jüd.-alexandrinische Religionsphilosophie pars II, p. 1 squ.) In eis quae et a[illegible] auctores qui verterunt, et ad tempus, quo, et ad rationem, qua ea componi coepta est, pertinent, quamvis permul[illegible]

admodum obscuritate operta insint (Fritzsche in Herzog: R.-E., tom. I, p. 281, 289. — Valkenaer: diatribe de Aristobulo, p. 57), tamen quoad sciam a nullo viro critico hucusque in dubium vocatum est haec sententia, nonnullis in locis vestigia philosophiae Platonis premi.

Deinde mentio facienda est Aristobuli, qui intima Philometoris regis familiaritate usus eum sapientia divina V. T. imbuisse dicitur, cujus in fragmento, quod usque ad nostram aetatem venit, eadem syncretismi cujusdam principia nobis obviam occurrunt: Graetz, l. c. p. 34 squ.

Reperiuntur etiam hujus de qua agitur rei nonnulla testimonia in libris apocryphis, cum in aliis, tum vel maxime in libro Sapientiae, cujus auctorem Hieronymo jam teste, nonnulli scriptores veteres Philonem fuisse quamvis perperam contenderunt. (Dähne, l. c. pars II, p. 116 squ.) — de Wette, Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung ed. V, p. 431. — Gfroerer, Kritische Geschiche des Urchristentums pars I: Philo und die jüdisch-alexandrinische Theosophie 2. Abteilung p. 200—250). Dico praecipue haec verba in pagina 274 legenda: Neben den orientalischen Quellen hat Plato's Philosophie einen sehr bedeutenden Einfluss auf die alexandrinischen Juden ausgeübt. Von ihm haben sie die Ideenlehre, die bestimmt bei Aristobul und Philo, in einzelnen Spuren auch im Buche der Weisheit hervortritt. Confer etiam Dähne l. c. p. 152 squ. Eum, qui hunc librum Sapientiae scriserit, quisquis fuerit, non solum eis se applicuisse, qui in suo populo pro sapientibus haberentur, verum etiam a philosophis Graecorum permulta didicisse, ita ut in numero eorum virorum ducendus esset, inter quos Philo Alexandrinus primatum obtineret, etiam Schürer contendit (Herzog, R.-E. tom. I, p. 510.)

His verbis jam transivimus ad ea, quae de Philone explicanda erunt. In nullo alio nobis occurrit haec sententiarum judaismi et paganismi confluxio tam dilucide, quam in Philone. Iam ea urbs, in qua hic vir ut morum honestate ita sapientia et ingenii subtilitate multaque et sacra et profana eruditione insignis (Hoelemann: de evangelii Johannei introitu p. 33.) vivebat, Alexandria, caput Aegypti, talis erat, quae ejusmodi rebus diversis commiscendis maximo opere faveret. Hac in urbe ingens hominum numerus confluxit. Hic maxima linguarum, morum, negociorum varietas apparuit. Hic mercatores, artifices, viri docti, grammatici, medici, philosophi, multas cogitationes inter se disseruerunt et secum communicaverunt. Hic, si hoc imagine uti mihi licet, opiniones praejudicatae erroresque Judaeorum vetusti pariter atque nebulae et vapores vehementiore spiritu venti exorto magis magisque dissipati sunt. Ac si verum est atque omnium temporum experientia probatum, artes literasque ingenuas non nisi in libera civitate libere promoveri solere, hac in urbe ne haec libertas quidem ad literas excolendas maxime necessaria defuit. Josephus enim c. Ap. II, 4; bell. Jud. II, 187 memoriae prodidit, jam Alexandrum Magnum Judaeis urbem amplissimam tum ipsum conditam incolentibus donavisse civitatem macedonicam. Insuper Ptolemaeo Lagi rege multi coloni hanc in urbem migraverunt, ita ut numerus Judaeorum ibi versantium per se haud exiguus maximo opere cresceret. Reges aegyptiaci vero, Ptolemaei, in hos summam detulerunt liberalitatem. (Josephi antiqu. XII, 1.) Alabarcha, qui erat eis praefectus, res publicas eorum ordinavit et administravit. Suum ipsorum habuerunt senatum. Non solum complures synagogi eis fuerunt, verum etiam templum Leontopolitanum (Kahnis, Lu-

Dogm. tom. I, p. 314; Zöckler, l. c. p. 286.) Felicissima igitur fuit hac in urbe in universum externa colonorum condicio.

Hac igitur in urbe exstitit Philo. Hoc quasi fuit theatrum ejus genii, quem Philo potissimum repraesentavit. Qualem vero hunc Philonis genium ejusque opinionem de divinis humanisque rebus universalem accuratius describamus? In Philonem prorsus quadrat ea, quam supra protulimus in universum, sententia. Ut religioni judaicae et revelatae totum ac fidum se dedidit, sic etiam philosophiae Graecorum indulsit. Philo, inquam, fuit intimo pectore Judaeus, cui persuasum erat, deum tantummodo sui populi verum esse deum. Legem revera coelitus promulgatam omniaque a deo ita instituta esse, ut Judaeis via salutis veritasque aeterna libris sacris esset revelata. Philo omnia, quae ex suo populo provenerant eique data et tradita erant, maximi esse momenti judicavit. Qua pietate ductus summa animi inflammatione verba de Abrahamo fecit. In libro de nobilitate (*περὶ εὐγενείας*) scripto, Mangey II, p. 442 squ. Abrahamus auctor totius generis quippe qui fidem possideret, quae virtutum esset certissima simul et ceteras virtutes habuisse praedicatur, ut apud omnes, qui eum exciperent, haberetur rex, non apparatu, quippe privatus (*ἰδιώτης γὰρ ἦν*) sed animi magnitudine, spiritu praeditus regio (*φρονήματος μεγαλείῳ ὧν βασιλικοῦ*). Nec minus pie quam de Abrahamo de Mose judicat, utpote qui Judaeis formam omnium rerum publicarum et sacrarum dedisset legesque divinas cum eis communicavisset. In initio ejus libri, quem de „vita Mosis“ scripsit, eum *τὰ πάντα μέγιστον καὶ τελειότατον* nuncupat. Mang. II, 80. Idem in libro de opificio mundi composito ait, Mosem tum philosophiae fastigium assecutum tum divinitus de

plurimis ac praecipuis naturae arcanis edoctum fuisse. Quid? quod eo progreditur verecundiae, ut contendat, vel scriptores, poetas, oratores, philosophos Graecorum, Heraclitos, Hesiodos, Platones, Zenones, quamvis parum dilucide et quodammodo eminus conspicerent, quae ad veritatem intellegendam pertinerent, ex libris Mosis ipsos demum hausisse. Quapropter inter literas Graecorum liberales et sapientiam divinam revelatam eandem intercedere rationem, quae inter Hagar peregrinam et pellicem et Sara heram fuisset (Gal. IV, 22 squ.) Hae sunt autem ipsius verba: *Ὃν δὴ λόγον ἔχει δέσποινα μὲν πρὸς θεραπαινίδας, γυνὴ δὲ ἀστὴ πρὸς παλλακὴν, τοῦτον ἔξει τὸν λόγον* (rationem), *ἀρετή Σάῤῥαι πρὸς παιδείαν* (eruditionem) *Ἄγαρ .... Σάῤῥα γυνὴ, παλλακὴ δὲ Ἄγαρ, ἡ ἐγκύκλιος μουσικὴ πᾶσα* (Mang: de congressu quaerendae eruditionis causa tom. I, p. 522).*)

---

*) Ceterum, hac occasione oblata, nolo silentio praeterire, jam Aristobulum aeque ac postea Clementem Alexandrinum (Strom I, p. 148) in eadem fuisse opinione. Platonem etiam atque Pythagoram aliosque philosophos ex V. T. in graecum sermonem transverso hausisse opinati sunt. Sufficiat forsitan, commemorasse, Aristobulum regi Ptolemaeo VI. Philometori scripsisse, priusquam Demetrius Phalereus veteris testamenti libros in linguam graecam vertendos curasset, jamdudum alium fuisse (*ἑτέρου*) vel etiam alios (*ἑτέρων* Eus.) qui ante aetatem alexandrinam transvertisset aut transvertissent *τά τε κατὰ τὴν ἐξ Αἰγύπτου ἐξαγωγὴν τῶν Ἑβραίων καὶ τὴν τῶν γεγονότων ἁπάντων αὐτοῖς ἐπιφάνειαν καὶ κράτησιν τῆς χώρας καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησιν.* Quae verba quamvis fabulosa et sonent et sint etsi non minus at certo non plus veritatis in eis aperte insit, quam in epistula Aristeae, quae dicitur, in qua de genesi versionis LXX fabulosa, spuria, incredibilia traduntur, tamen monstrant, quale judicium coetus illorum „Alexandrinorum“ de hujuscemodi rebus fecerit. (Fritzsche in Herzog: R.-E. I, p. 282.)

Qui talia judicia facit, qualia modo protulimus, eum maxima fidelitate atque intima fide suae ipsius religioni deditum fuisse necesse est. Nihilo secius idem Philo princeps et quasi dux fuit eorum, qui Graecorum, praecipue Platonis philosophiam intime cum V. T. et volebant conjungi et conjungebant. Quodsi Philonem philosophorum seriei adnumeramus, hoc non sic intelligendum, tanquam si originali neque ab ullo alio philosopho trita via pariter ac Plato, Aristoteles, alii, ingrediens cuncta ex propriis ingenii fontibus hauserit. Nimis nimirum strenue mea quidem sententia injuste judicavit Gfoererus, qui in initio libri sui: Kritische Geschichte des Urchristentums, pars II, p. 2 et 3 ad permultas easque gravissimas contrarietates provocavit, propter quas noster nihil aliud fecisse putandus esset, nisi eas, quae illa aetate exstitissent, ideas in novam quandam philosophandi formam redegisse, denique ea, quae duobus ex saeculis in animis theosophorum alexandrinorum nata essent, secundum suam methodum inter se connexisse. His verbis auctor eam sententiam tanquam si noster ex suo genio ut fonte philosophiae omnino hauserit, argumentis ad hujus rei contrarium pertinentibus labefactavisse sibi videtur. Quae num revera ita sese habeant veraque sint, quamvis in suspenso nunc relinquamus, tamen non possumus, quin miremur, quod idem auctor tale contrarietatum atque perversionis systema philonianum fundamentum esse voluit, in quo doctrina christianismi aut suffulciri aut unde exoriri potuerit. Idem aut simile quid invenitur in articulo: Philo a J. G. Müller scripto in Herzog: R.-E. (1. ed), p. 583. Nec vero nunc longius hac in quaestione versemur. Multo enim pluris, quam quanti philosophicum nostri ingenium aestimandum esse videatur, nostra interest comperire, et unde appareat,

eum philosophiae Graecorum rationem habuisse, et quomodo philosophorum praecipue rationem habuerit.

Hujus quaestionis duplicis, ad quam nunc nobis transeundum erit, ex extrema et interna exstant testimonia. Illa inveniuntur in eis, quae viri docti theosophiae alexandrinae, praecipue philonianae gnari judicaverunt, haec scriptis Philonis ipsis involvuntur.

Quae omnia si enumerare vellem et explicare, longior essem. Angustiis et temporis et loci mihi tantum licet, nonnulla dumtaxat proferre.

Jam Mangey pro multis unum testimonium attulit depromptum ex Freculphi Chronico. Illud vero testimonium invenitur originale in bibliotheca patrum, tom. IX, pag. 497 atque haec continet verba: Hujus temporibus Philo insignissimus scriptorum florebat, qui non solum in nostra, verum etiam in Graecorum philosophia primus inter primos habebatur .... Quis digne valeat explicare, quanta ei in liberalibus literis fuerit institutio, quanta in philosophicis quantusque (?) maxime in Platonicis et Pythagoricis fuerit disciplinis; ut omnes qui secum (?) floruerant paene et qui praecesserant, superaret. (Mang. tom. I, p. XXVII.)

Inter scriptores theologicos, philosophicos, historicos hac de re, quoad equidem scio, nulla unquam exorta est disceptatio. De Gfoerero non opus est, ut iterum verba faciamus. Ueberweg inter eos, qui tertiae periodi philosophiae Graecorum adnumerandi sunt, philosophos enumerat philosophos judaico-graecos, quorum princeps Philo fuerit. (Grundriss der Geschichte der Philosophie, tom. I, p. 224, 226.) Sic Luthardtus in libro: Das joh. Evangel., Nürnberg 1852, probaturus, inter λόγον philonianum et johanneum nullam omnino exstitisse aequalitatem realem, unde Philo hanc notionem assumpserit ita perscontatur,

ut nihil eum esse dicat nisi ideam dumtaxat ethnicam, a Zellero non injuria ad philosophiam Stoicorum relatam. (Luthardt, l. c., p. 203, 204.) Quid quod eo procedit, ut totum Alexandrinorum coetum ethnicam prae se ferre speciem ac rationem, disertis verbis contendat ... „Den Weg über die Grenze Israels d. h. der Heilsgeschichte hinaus in das Gebiet der Heidenwelt, welchen diese andre Richtung der Weisheitslehre einschlug, betrat der Alexandrinismus. Daraus ist nun auch der philonische Logos entstanden. Er wurzelt wesentlich in dem ethnischen Problem des Verhältnisses Gottes zur Welt und nicht in der Heilsgeschichte.“ Theodorus Keim (Geschichte Jesu von Nazara, tom. I, p. 213) eo potissimum consilio Philonem studiis se dedidisse putat, ut praeco esset earum doctrinarum, quas ut a Mose prophetisque, sic a sapientibus Graecorum, Pythagora, Platone, aliis se et didicisse et accepisse sibi conscius fuisset. Cujus viri arbitrio Philo propterea quod provinciam inter Judaeos paganosque conciliandi susceperit admirandus, quod non omnes difficultates solverit, non reprehendendus est. — Lücke in commentario de evangelio Johannis scripto Bonn 1840, p. 283 putat Philonem summo in fastigio doctrinae alexandrino-judaicae versari, nec solum gnosin alexandrinam, sed in universum hellenisticam omnes in partes et maximo opere excoluisse. — Hölemann deinde in libello jam supra citato p. 33 judicat, Philonem principem fuisse eorum philosophorum, qui Graecorum potissimumque Platonis philosophiam cum V. T. scriptura ita conjungerent, ut illam ex hac elicuisse sibi viderentur.

Ante omnia autem is, quem de Philonis doctrina accuratissime explorando optime meritum esse inter omnes constat, D. Grossmannius, ephorus Lipsiensis, qui per

compluria decennia ecclesiae Thomanae praefuit, nonnullis programmatibus, quae quaestionum philoniarum nomine circumferuntur aut potius — maximopere dolendum! — non jam circumferuntur, et ipse theosophiam Philonis cum philosophia Platonis aliorumque Graeciae philosophorum cohaerere certis argumentis stabilivit aliorumque sententias huc pertinentes attulit. Qui quamvis sibi conscius sit, cum per se difficillimum esse, quae cujusque scriptoris alius nativa et domestica sint, quaeque peregre adscita atque accepta, dijudicatu, tum de Philone praesertim hujuscemodi judicium difficillimum, tamen ex hujus difficultatis causis ab eo prolatis eos accurate cognoscimus fontes, unde Philo hauserit et orientalium et graecorum philosophorum systemata fuisse. (Quaest. phil. pars. I, p. 8.) Quod quidem Grossmannius ipse his certis disertisque verbis dicit: Hanc talem noster doctrinam unde hauserit, non illa e longinquo repetenda aut conjectura sola et incerta explicanda est, sed ipso Philone viam monstrante uberrimi fontes in promptu sunt hi: primum doctrina veteris testamenti, deinde philosophia orientalis, inprimis Judaeorum illa Cabbalistica, tum philosophia Graecorum, inprimis Platonica et Stoica. — Omittamus alios doctrinae philonianae fontes atque insistamus in eis, quae ad Graecorum philosophiam potissimum pertinent. Hac de re Grossmannius l. c. p. 62 in annotatione accuratissima attulit argumenta, unde jam ante Philonis aetatem philosophiae graecae cum sacris judaicis necessitudinem nec ipsum Philonem ignorasse liqueat. Etsi, quo primum tempore Platonica pariter atque Stoica philosophia a Judaeis coli et intelligi coepta sit, certo dici non possit, tamen si non priore jam tempore certo inde eo tempore, quo liber Sapientiae componebatur, interiorem atque

accuratiorem philosophiae graecae inter Judaeos scientiam floruisse, Grossmannius putat. Cujus rei stabiliendae causas ex ipsius Philonis scriptis profecto repeti licet. Nimirum Gen. XII, 1 explicaturus patres priscos, quorum mentio illo loco fiat jam diu ab interpretibus V. T. nil aliud nisi ideas Platonicas commemorat Philo, *τὰς ἀρχετύπους* scil. *ἰδέας τὰ νοητὰ καὶ ἀόρατα ἐκεῖνα τῶν αἰσθητῶν καὶ ὁρωμένων τούτων παραδείγματα πρὸς ἃ τὴν τοῦ σοφοῦ διάνοιαν μετοικίζεσθαι.* Nec desunt etiam causae pariter ex Philone depromptae, ex quibus intelligatur, stoicae sectae philosophos judaicos addictos fuisse multo ante ipsius aetatem. Nec enim quos memorat Philo tales, qui *πάλαι ἦσαν ἡγεμόνι μόνῳ θεῷ χρώμενοι καὶ κατὰ νόμον τὸν ὀρθὸν φύσεως λόγον ζῶντες οὐκ ἐλεύθεροι μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς πλησιάζοντας ἐλευθέρου φρονήματος ἀναπίμπλαντες* alios facile et recte poterimus intelligere ac quos naturam secutos esse jam Ciceronem ex pueritia nos docere inde ab eo tempore meminimus, quo ejus de amicitia librum jucundissimum legere coeperamus.

Quam ferventi literarum studio ac siti totum se dederit Philo genio Graecorum universali, vel inde intellegitur, quod in ejus libris, quamvis raro admodum ipsa Graecorum nomina usurpet, solemni fere formula usus: *ὡς φασί τινες* vel *ὡς ὁ παλαιῶν λόγος* nobis tamen ingens sane atque admirabilis cognitio omnium fere clarorum virorum hujus populi qui omnino libros reliquerunt, obvia est. Neque enim solum philosophorum, ut Platonis atque Stoicorum, verum etiam poetarum, velut Homeri, Hesiodi, Solonis, Theognidis, Pindari, Aeschyli, scriptorum rerum, Thucydidis et Xenophontis, legumlatorum, mathematicorum, physicorum, sophistarum, scepticorum, naturalis historiae scriptorum vel libros tum superstites vel sententias

dumtaxat cognovit. (Grossmann, l. c. p. 5 Annotatio; Müller, in Herzog, R.-E. I, ed. I, p. 579.) Qui num linguae hebraicae gnarus omnino fuerit, quae tunc Judaeis, Alexandriae degentibus jamdudum aperte desierat, cum ne libros sacros V. T. quidem aliter nisi in versione LXX legerent, vernacula esse, hoc ipsum quoque in dubium potuit vocari. Non desunt quidem, qui linguam Hebraeorum ei notam fuisse contenderint, at exstiterunt etiam nonnulli eique sagacissimi auctores, qui hoc negandum esse putaverint, velut Henricus Planck Göttingensis in libello: Commentatio de principiis et causis interpretationis philonianae allegoricae p. 16. Ut Gfroererus in libro citato multas easque profundissimas contrarietates ex Philonis operibus cumulavit, sic etiam Grossmannius in programmate: De Pharisaeismo Judaeorum Alexandrino pars I, inde quod Philo se applicare debuerit ad scholam theologorum judaicorum alexandrinam, quae revera tum temporis jam exstiterit, et ex syncretismo, qui etiam ad Philonis ingenium multum fecerit, multas atque magnas discrepantias derivat. Et profecto Philo haud raro a semet ipso defecit. Sic, ut nonnulla dumtaxat exempla ad rem illustrandam proferam, philosophiam ait omnibus literis principia ac semina (*τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ σπέρματα*) suggessisse, ex quibus demum sententiae atque placita efflorescere potuerint, et alias eandem philosophiam non nisi fluxam et fragilem esse contendit. Sic hoc loco mundum animal esse ratione praeditum (*κόσμος νοερὸς καὶ φρόνιμος*) ponit, alias docet, mundum nil esse nisi *ἁρμονίαν ἣ συνέστηκεν ἐξ ἐναντίων ποιοτήτων*. Alias praedicat mundum nunquam interiturum, atque aeternum esse velut deum induxit Plato in Timaeo 41ª loquentem: *ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα ἄλυτα, ἐμοῦ γ' ἐθέλοντος*. Mox iterum imminen-

tis divini judicii metu perculsus: „Non est jam, inquit, in eo venusta species elementorum, ablatum decus est, tristi deformitate omnia affecta sunt, materies formam exuere properat!“ Nolo plura. Conferendi sunt p. 5 et 13 programmatis Grossmannii De Pharisaeismo etc., ubi etiam loci inveniuntur liborum Philonis.

Sed quorsum haec? Ut demonstretur, has ipsas discrepantias, in quibus Grossmannius*) prorsus aliter atque Gfroerus argumenta conspicuit veritatis verbi illius: Die menschlichen Schwankungen und Widersprüche sind es gerade, welche uns einen grossen Charakter in seinen eigentlichen historischen Bewegungskräften aufdecken und ihn als den fruchtbaren Boden der Zeit, die auf ihm gewachsen ist, darstellen**) (contra Gfroerer l. c., pars II, p. 3) probare ac stabilire, Philonem in philosophorum graecorum permultorum scriptis nimis versatum esse, quam ut unum tantum sequeretur. Nam illae contrarietates confestim ad liquidum perducuntur, si animum adverterimus ad diversos fontes, ex quibus illae sententiae fluxerunt. Aliter enim philosophi Graeci, qui plerique philosophiam matrem omnium literarum duxerunt, aliter Pharisaei, quibuscum eum sensisse multaque communicavisse Grossmannius (De Pharisaeismo, p. 8) plus quam verisimile facit, judicaverunt. Quid? quod Pharisaei philosophiam vanam esse neque unquam ad veritatem ducere quemquam possse con-

*) Ceterum Grossmannius landibus effert, quod Philo tam multa habet sibi propria et singularia ornamenta et lumina, ut quid in eo genere cum philosophia ejus comparandum sit, non habeat dicere. (De theologiae fontibus, p. 1.)

**) Haec verba leguntur in libro, cui titulus est: Schleiermacher und die Entwicklung des relig. Bewusstseins in Deutschland von Theodor Mund im Freihafen 1843, p. 240.

stanter docuisse dicuntur. Aliter Plato, aliter Empedocles de mundo suam ipsius opinionem vovit ac protulit. Quid mirum igitur, quod Philo alexandrinus, qui inter utramque utique scholam medius stetit, ut ipse ad opinionum syncretismum propensus fuit, contrarietatibus implicatus est?

Denique unius scriptoris rerum mentionem facere velim, Jostii, qui et ipse ex stirpe Judaeorum natus pariterque atque Graetz coetui eorum adnumerandus esse videtur, qui in judaismo recentioris temporis reformando operam collocant. Hic quoque in libro: Geschichte des Judentums 1857, pars I, p. 391 opprobrio vertit Philoni, quod cum alioquin admiratione dignus videatur, non abhorruerit neque a ridiculis quibusdam tricis cum sectam Pythagoraeorum imitatus numeris sacris, quos vocant, ludere quodammodo videatur neque a sophismatibus, quae unumquemque oporteat mirari. Qui lusus numerorum sacrorum aperte cohaeret cum mirabili saepe hujus philosophi allegorice dicendi genere, quod qui nondum recte intellexerit, quid voluerit omnino vix ut intelligat, metuendum est. Utut est, utique hoc quoque opprobrium ad nostram sententiam stabiliendam attulit momentum. Recte igitur jam patres ecclesiastici graeci aut Philonem platonizasse aut Platonem philonizasse internam inter utriusque gentis philosophorum necessitudinem expressuri tam breviter quam argute velut proverbium adnotaverunt. (Müller in Herzog: R.-E., ed. I; XI, p. 579.)

Conscius mihi sum, nie eorum, quae exstent omnino ad sententiam nostram stabiliendam externorum pauca tantum protulisse testimonia.

Sed hoc his quoque sufficienter declarasse mihi videor, viros doctos fere omnium saeculorum singularem Philonis

cum philosophis Graecis familiaritatem statuisse. Quodsi munere suscepto strenue, quoad possum, perfungi volo, restat, ut, quaenam interna exstent argumenta ex Philonis scriptis hausta monstrare atque nonnullorum dumtaxat locorum principalium theosophiae philonianae ratione habita, quomodo placita et theoremata philosophorum graecorum ad eam pertinuerint, pro viribus describere coner.

Hujusce autem rei ante omnia tesimonium gravissimum exstat Philonis interpretatio allegorica quae dicitur. Cujus leges atque principia Plank in libello supra jam citato dilucide tractavit. Quae quid sibi velit, si brevibus volumus complecti, geneticam definitionem proponentibus nobis erit asserendum, non nisi eam ex sententiarum ethnicarum judaicarumque diversitate earumque confluxione vel syncretismo exortam et ex Judaeorum verecundia ac pietate divinae sacrorum librorum revelationis et ex philosophiae graecae sententiarum in piam Judaeorum conscientiam influxu floruisse propterea quod literalis doctrinae sacrae sensus cum rationis philosophicae principiis neutiquam videbatur convenire. Qua in re certam legem conspicimus quam in omni vitae spiritualis genere omnino omni fere tempore multum valere experientia docet. Quae lex ea est, ut in ingeniis animisque hominum necessitas quaedam insit inevitabilis, qua in contrarietate religionis divinitus revelatae atque earum quae insunt in categoriis humanae rationis sententiarum acquiescere non possunt. Huic legi obtemperantes viri docti et in philosophicis et in theologicis rebus christianam quoque religionem cum placitis philosophiae reconciliare atque utrumque dogmatum genus ad harmoniam atque unitatem referre studuerunt ac consueverunt.

Nec vero omnes, nullo, ne Hegelio quidem, excepto, quippe qui hanc harmoniam expetitam conciliavisse quondam sibi visus sit, usque ad hunc diem difficillimam illam et complicatam sane quaestionem solverunt. Quod Hegelius praecipue notionem *τοῦ ϑεανϑρώπου* protulerat, eam a notione genuina in S. S. docta prorsus differre, Straussius argutissime probavit. (Kahnis, Luth. Dogm. I, p. 87, 90; Strauss, die chr. Glaubenslehre in ihrer gesch. Entwicklung u. im Kampf mit der modernen Wissenschaft.) Ac crediderim, dogmata religionis christianae atque placita philosophiae nullo omnino tempore reconciliatum iri.

Nihilo secius haud pauci viri docti futuro quoque tempore ad hanc quaestionem iterum iterumque accedent. Quam quaestionem difficillimam pro opinionibus illius aetatis solvendam aetate alexandrina Philo etiam solvere conatus est. Quem ad finem allegoricae interpretationis methodum secutus est. Ac ne quis credat, populares, quid voluerit, non intellexisse. Neque enim primus hanc viam ingressus est. Contra jam inde duobus ex saeculis innotuerat popularibus haec methodus. Philoni hoc quoque persuasum fuit, se intellectum iri. Quod facile cognoscitur et inde, quod praeter hanc allegoricam methodum aliam omnino non exstitisse pro certo eloquitur et inde quod compluribus in locis ad eas diversas quae jamdudum exstent, allegorias provocat. Mang. I, 599. Hoc loco v. g. haec leguntur verba: *Τί μὲν οὖν ἐστι τὸ „Δώσω σοι“ λέλεκται.* (Gen. XVII, 16.) Haec nimirum verba *δώσω σοι τέκνον* de animi laetitia explicavit, quam deus ei qui virtute praestiterit, dono sit daturus. *Τὸ δὲ „ἐξ αὐτῆς“ μηνυτέον.* Quae verba „*ἐξ αὐτῆς*“ a diversis interpretibus diverso modo explicata esse apparet ex eis quae sequuntur: *Οἱ μὲν οὖν τὸ ἔξω γινόμενον αὐτῆς ἐδέξαντο, νομίζοντες*

ἄριστα κέκρισθαι παρὰ ὀρθῷ λόγῳ, τὸ μηδὲν ἀποφαίνειν τὴν ψυχὴν ἴδιον αὐτῆς καλὸν, ἀλλὰ προσγινόμενον ἔξωθεν, κατὰ τὴν μεγαλάνοιαν τῆς χάριτος ὀμβροῦντος θεοῦ. Οἱ δὲ, τὸ παραυτίκα τάχος ἴσον γὰρ εἶναι, τὸ ἐξ αὐτῆς τῷ παραχρῆμα, εὐθὺς, ἀνυπερθέτως, ἄνευ μελλήσεως. Τοῦτον δὲ τὸν τρόπον αἱ θεαῖ φιλοῦσι συμβαίνειν δωρεαὶ, φθάνουσαι καὶ τὰ χρόνων διαστήματα. Τρίτοι δέ εἰσιν, οἱ τὴν ἀρετὴν μητέρα τοῦ γεννητοῦ εἶναι λέγοντες ἀγαθοῦ, λαμβάνουσαν τὰς γονὰς παρὰ μηδενὸς θνητοῦ. Quo ex loco perinde apparet, non solum tum temporis longe lateque divulgatam fuisse, verum etiam omnes fere, qui allegoriae indulgerent, id egisse, ut in personis librorum pentateuchicorum historicis velut e. g. hoc loco in Isaaco personam minus quam τρόπον τῆς ψυχῆς, modum laetitiae interioris conspiciendum putarent atque, quae revera aut essent aut fierent, in idearum allegoricarum vapores quasi dissolverent. Cujus rei explicationem nulla alia in re invenire posse mihi videor, nisi in eo quod, quemadmodum Plato philosophus singularia cum generalibus, individua quae εἴδωλα vel ὁμοιώματα nominat cum ideis conjungit, quas παραδείγματα nominat quae, quamvis per se sint (αὐτὸ καθ' αὑτὸ) (conviv. p. 211 squ.) tamen tales sint, ut singula earum participia esse possint (μέθεξις, ἐκείνου μετέχει l. c.), sic etiam Philo res reales personasque historiae sacrae in illud aeternum atque infinitum idearum regnum efferre studuit. Cujus rei causam probantem invenire mihi videor in Mang I, 513, ubi Philo Gen. XV, 15 explicaturus, commemorat, ὥς τινες νομίζουσιν, τοὺς πατέρας εἶναι τὰς ἀρχετύπους ἰδέας, τὰ νοητὰ καὶ ἀόρατα ἐκεῖνα τῶν αἰσθητῶν καὶ ὁρωμένων τούτων παραδείγματα, πρὸς ἃ τὴν τοῦ σοφοῦ διάνοιαν μετοικίζεσθαι, cujus loci jam supra mentionem fecimus.

At enim multi huic allegoriarum usui contradixerunt eumque impugnaverunt. Fuerunt profecto *τῆς ῥητῆς ἑρμενείας* i. e. exegeseos literalis ac verbalis asseclae, quibus et ipse Philo M. I, 146 opprobrio vertit, quod *γλισχρότητι τῶν ὀνομάτων, τύφῳ ῥημάτων, τῇ τερθρείᾳ ἐθῶν* indulgerent tamque caeci atque hebetes essent, ut quibuscum arcani disciplina mysteriosusque verbi divini sensus communicaretur digni non essent. *Ἐκείνοις δὲ*, inquit, *οὐχ ἱεροφαντήσομεν κατεσχομένοις ἀνιατῷ κακῷ, τυφῷ ῥημάτων καὶ ὀνομάτων γλισχρότητι καὶ τερθρείας ἐθῶν, ἄλλῳ δὲ οὐδενὶ τὸ εὐαγὲς καὶ ὅσιον παραμετροῦσιν.* Quid vero his ex verbis sequitur? Quodsi verum est, in universum ex eo, quod et quantopere aliqua res impugnari soleat, quo dominationis in animis hominum ipsa progresa sit cognosci, mihi quidem non dubium est, quin propter id ipsum, quod literalis interpretationis asseclae tam vehementer a Philone reprehendendi erant, permulti allegoricae interpretationi indulserunt, qua re perinde probatum est, philosophiae peregrinorum influxum haud exiguum fuisse atque longe lateque propagatum.

Utrumque enim aperte cohaeret, Sane, quae philosophi Graecorum de rerum divinarum humanarumque natura, de dei existentia et essentia, de mundi creatione, de hominum cum deo ratione, de animorum immortalitate docuerant, ab eis sententiis multis nominibus distulerunt quae in libris pentateuchicis inveniebantur. Atque hujus V. T. partis tantum Philo rationem habuit. Quid igitur mirum, si noster, superiore initiatorum sapientia perquam imbutus, opiniones extrinsecus illas ei oblatas propriis popularium dogmatibus multo clariores quodammodo atque sinceriores duxit neque ullo modo, quin cum alii loci tum inprimis ei, qui anthropomorphismos et anthropopathismos

continerent, a multis praecipue a populo indocto perperam et falso intelligerentur, dubitavit. Quamobrem tales locos, quales Gen. VI, 7; M. I, 280—282, ubi de ira dei agitur *ἀπαλείψω τὸν ἄνθρωπον, ὃν ἐποίησα ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς — ὅτι ἐνεθυμήθην ὅτι ἐποίησα αὐτὸν* —) suo jure non verbaliter intelligendos esse mea quidem ipsius sententia judicat. Cujus rei duae apertae valent causae. Alteram nominaverim dogmaticam, ex libris sacris ipsis repetendam, quippe qui, nos deum perinde atque hominem contemplari vetuerint. (1. Sam. XV, 20). Alteram paedagogicam dixerim eamque etiam majoris esse momenti contendam. Philo nimirum Mosem ut praestantissimum legislatorem duo hominum genera una respicientem induxit. Alterum genus est eorum, quibus pro inferiore scientia divina non aliter ac sensuali forma offerre Moses potuerit, medici instar qui quo facilius hominem aegrotum mortisque timore impletum curet, perniciosi morbi naturam eum celabit atque ne terrorem animo jam injectum mortis ullo modo augeat, cavebit. Alterum genus est spiritualium, ut ita dicam, hominum, qui cum veritatem nullo modo velatam sustinere valeant, atque populo indocto plus sapere audeant, nec literalem pentateuchicorum librorum exegesin ullo modo ne offendant metuendum est et sperandum fore ut allegoricam interpretationis formam intelligant atque intus suscipiant.*)

*) Analogica hominum divisio nobis in historia ecclesiae apud gnosticos occurrit, qui theorematibus ab iis doctis superiorem quasi gradum intelligentiae christianae repraesentari rati, inter homines hylicos, psychicos, pneumaticos discernere consueverunt. Verisimile est, hanc theosophiam judaico-alexandrinam ad gnosticorum etiam doctrinas fecisse, si quidem „philosophumena Hippolyti", quae nominantur, ad hanc sententiam stabiliendam gravissimum afferunt momentum. Hippolytus enim, quippe qui omnino

Sic inter hoc utrumque genus hominum discrimen statuens Philo non dubitat omnia fere, quae e. g. de creatione mundi scripta sint, allegorice interpretari. Nil nisi ipsum facinus creationis pro certo facto ducit, cum cetera, quae ad spatia dierum pertineant, non nisi homines fatui pro veris habere possint. Leg. alleg. I, 41. Sic quin Adamus primus fuerit hominum, in dubium non vocat. At quae de paradisi per deum conditi, quae de arboribus in eo sertis, quae de serpentis illecebris ac tentatione, quae de hominibus primis ex paradiso abjectis perhibentur, ea non nisi doctrinarum atque idearum symbola superiorisque quodammodo sacra sapientiae velamina ducit. Inde ex eo capite dumtaxat, quo de Abrahamo narrari coeptum est, historiae realis filum deducere posse sibi videtur. At in allegoricam tamen interpretationem iterum iterumque incidit, cum juxta literalem propriumque sensum superiorem et arcanum initiatis tantummodo aperiendum ullo modo postponi nolit.

Quis doctorum cordatorumque hominum in antiquitatis rebus versatissimus est, quem fugiat, inter paganos omni tempore valuisse discrimen inter scientiam exotericam et esotericam? Quis est, qui nesciat eo quod veteres Graeci esotericam potissimum scientiam initiatorum tanti aestimaverint, mysteria illa esse exorta, eleusinia potissimum tum samothracica, dionysiaca, orphica? Grossmannius vero libellum scripsit, quem cum elegantia formae, tum rerum jucunditate vehementer allectum nuperrime me

---

mihi Philonis non prorsus dissimilis esse videatur, ait, systemata gnostica plerumque ad philosophicas, quae inter Graecos floruerunt, scholas, e. g. Basilidis ad Aristotelicas, Marcionis ad Empedocleas multis nominibus referri sententias. (Jacobi, Art.: Hippolytus in Herzog, R.-E., 2 ed. VI, 145 squ.)

summa cum voluptate et ipsum accurate perlegisse libenter fateor. Quo in libello, cui titulus est: De ascetis Judaeorum veterum ἄσκησιν i. e. complexum earum rerum omnium descripsit auctor, quibus ad perfectam sapientiam virtutemque vulgari potiorem exerceri mentes animique solebant. Inde facile intelligitur, Judaeos cum idem statuerent discrimen inter sapientiam virtutemque perfectam atque imperfectam, illam perfectam sapienti atque initiato cuique, hanc imperfectam populo superiore doctrina non imbuto attribuentes eadem in semita incessisse, quam a Platone jamdudum constat tritam fuisse (Grossm. l. c. p. 7). Iam si his cum rebus, quae de allegorica Philonis interpretatione protulimus, contuleris atque qua verecundia ascetarum ipse Philo impletus fuerit, addideris, quum totam aetatem temporis multosque populares, tum vero inprimis Philonem ipsum cum antiquitatis Graecorum ut ita dicam genio coaluisse haud dubie libenter largieris. At ne deesse quidquam ad plenam perfectamque hujus rei descriptionem certis causis stabiliendam videatur, liceat mihi hoc testimonium solis luce meridiani clarius hoc loco proferre. Sic nimirum Philo initiatos ipse allocutus est: Mang. I, 147; Gfroerer, l. c. p. 100. *Ταῦτα, ᾧ μῦσται, κεκαθαρμένοι τὰ ᾧτα, ὡς ἱερὰ ὄντως μυστήρια ψυχαῖς ταῖς ἑαυτῶν παραδέχεσθε καὶ μηδενὶ τῶν ἀμυήτων ἐκλαλήσατε, ταμιευσάμενοι δὲ παρ' ἑαυτοῖς φυλάττετε θησαυρὸν οὐκ ἐν ᾧ χρυσὸς καὶ ἄργυρος, οὐσίαι ἀφθαρταὶ, κατάκειναι, ἀλλὰ τῶν ὄντων κτημάτων τὸ καλλιστεῦον, ἡ περὶ τοῦ ἰδίου καὶ ἀρετῆς, καὶ τρίτου τοῦ γεννήματος ἀμφοῖν; ἐπιστήμη. κ. τ. λ.*

At forsitan quispiam dixerit, hanc allegoriarum explicationem, cum verbum Dei historiamque salutis divinitus gubernatam in idearum quasi vapores dissolverit,

contemnendam aut parvi tantum aestimandam esse. Nam divinae veritati damni plus, quam utilitatis attulisse videtur. Ac forsitan melius in universum fuisset, si Platonis Stoicorumque sententiae nulli innotuissent homini. Quid ad ad hoc respondendum? Primo quidem non negamus, fidei profecto periculum quoddam imminuisse. Sic etiam Gfroerer judicat, l. c., p. 104 squ. Non sine aliquo jure illi verbalis atque literalis interpretationis verbi divini asseclae contradixerunt. Quam facile enim potuit fieri, ut, cum allegorica interpretatio non ad historiam tantum, verum etiam ad mores antiquitate sancitos ususque publicos religione nobilitatos pertineret, haud pauci, si sensum superiorem intellexissent, jam satis se fecisse rati virtutem sapientiamque ipsam in usu vitae communi negligendam potius et posthabendam, quam expetendam omnium virium nisu putarent. At Philo ut hoc probaret, tamen abfuit, ut periculum inde exoriens palam detegeret detectumque sub oculos popularium diserte poneret. Hortatus est, ut unusquisque pius non tantum esset, sed pietatis etiam speciem publice non quidem superbiens affectaret, at verecundum legibusque oboedientem sese gereret. Ab eorum autem ratione unusquisque abhorreret, qui vice versa leges quoque non nisi symbola spiritualia superioris ducerent sapientiae. Denique vero quamvis ei, qui critico tantum judicio omnia dijudicare consueverunt, pro vera omni ex parte non habendam esse allegoricam interpretationem suo jure contendere possent, tamen si totum totius populi saeculis a. Chr. n. statum deliberaveris, eam utile sane non fuisse, eloqui non audebis. Meminerimus tantummodo, quantum respublicae totiusque aetatis eversiones ad religiosam quoque fiduciam vitamque Judaeorum cum Palaestinensium, tum Alexandrinorum fecerint. Cum semel ex

temporibus exsilii mentes animique Judaeorum ex fontibus recens detectis philosophiae novae atque inauditae haurire, degustare, delibare incepissent, fieri non potuit, quin apud plerosque fastidium quoddam et certa quaedam contumacitas exorerentur. Sic eorum certe judicio, qui eruditioris erant ingenii, mosaicarum legum auctoritas consenescere potuit. Supra demonstravimus, quam multos religionis patrum puderet, ita ut deficerent. Quodsi deliberaverimus, quominus tota labes ac ruina fieret, allegorica interpretatione prohibitum esse atque cautum, philosophia ne omnis religionis pietatisque jacturam faceret, fidesque religionis ne ab eis, quae ad res illustrandas omnino faciunt, prorsus abhorrens sensim sine sensu obcaecatione errorumque tenebris operiretur atque sic effectum esse, ut paganorum Judaeorumque mentes ad altiorem virtutis sapientiaeque gradum provectae ad salutarem evangelii praedicationem paratiores utique fierent, ut allegoricam interpretationem, quamvis obscuritate tenebrisque multis nominibus opertam, damnum potius, quam utilitatem attulisse religioni suspicemur, tantum aberit, ut in hac etiam providentiam divinam ad rectum scopum cuncta recte gubernantem admiremur. (Grossm. Quaest. phil. primae particulae prima de theologiae Philonis fontibus et auctoritate p. 7.)

Nec vero volo plura. De allegorica interpretatione et unde orta sit et qualis fuerit demonstrasse satis luculenter mihi videor.

Restat, ut ad nostram sententiam stabiliendam quam arcte Philonis doctrina judaica cum philosophia Graecorum coaluerit, ante omnia Platonis, singularia afferamus exempla.

Cum vero longius lapsus hujus commentationis terminos jamdudum excessisse putandus sim, ne patientiam

eorum, qui legunt, ultra quam par est, vindicare videar, doleo quod breviter tantum atque ita, quae restant, describere possum, ut res tangi potius, quam plane et perfecte probari et ad vivum quodammodo resecari videantur.

Multum vero ante omnia nostra interest, comperire, quid sit de *λόγου* notione judicandum. Quam cum nemo facile possit intelligere, nisi prius certa quaedam principalia placita cognoverit, quid de deo quidque de mundo docuerit Philo, nobis breviter est adumbrandum.

Quod ad doctrinam de deo propositam attinet, Philo neque in scyllam pantheismi, neque in charybdin illarum opinionum incidere voluit, quibus forma membraque humana et affectus et libidines deo attribuuntur. De hac quam postremo nominavi re, jam supra disputavimus Quod autem a panteismo abhorruit, hujus quoque rei in Platonica dei notione positum erat, quam sibi acquisivit. Plato enim strenue discernit inter *τὸ μὴ ὄν* et *τὸ ὄντως ὄν*, inter materiem atque idearum aeternarum illam amplitudinem. Inter cujus scripta praecipua haud dubie ille dialogus, qui Timaei nomine circumfertur, referendus est, in quo de deo mundique natura et origine, de hominum animaliumque constitutione ita tractat, ut haud injuria totius fere philosophiae theoreticae compendium habeatur. Hic duplicis rerum generis mentio fit. Distinguendum est inter ea, quae sunt generatione carentia (*τί τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον*) atque ea, quae gignuntur quidem neque vero unquam sunt (*τί τὸ γιγνόμενον μὲν ὂν δὲ οὐδέποτε*). Illud ex sententia Platonis per rationis indaginem percipi potest (*νοήσει μετὰ λόγου περιληπτόν*) cum semper sit idem (*κατὰ ταῦτα ὄν*), hoc opinione tantum per irrationalem sensum attingi potest, cum gignatur et intereat nec vero unquam sit (*τὸ δὰξ δόξῃ μετ ἀισθήσεως ἀλόγου δοξαστὸν*,

γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν.) Jam inde concludit, ut quicquid gignatur, ex aliqua causa necessario gigni dicat. Sine causa enim oriri nil omnino posse (*παντὶ ἀδύνατον χωρὶς αἰτίου γένεσιν σχεῖν*). Plato quidem altiorem ad gradum quam ad opinionem *δημιούργου* materiam chaoticam atque informem in ordinem redigentis atque ad pulchritudinem amoenitatemque *τοῦ κόσμου* evolventis ascendere nequit. Attamen aeternum esse mundum, prorsus infitiatur nec non ab aliquo initio ortum esse diserte contendit i. e. a pantheismo abhorret. *Σκεπτέον οὖν δὴ περὶ αὐτοῦ πρῶτον, ὅπερ ὑπόκειται περὶ παντὸς ἐν ἀρχῇ δεῖν σκοπεῖν, πότερον ἦν ἀεὶ, γενέσεως ἀρχὴν ἔχων οὐδεμίαν, ἢ γέγονεν, ἀπ' ἀρχῆς τινος ἀρξάμενος· ὁρατὸς γὰρ ἁπτός τε ἐστιν καὶ σῶμα ἔχων. πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα αἰσθητά· τὰ δὲ αἰσθητὰ δόξῃ περιληπτὰ μετὰ αἰσθήσεως, γιγνόμενα καὶ γενητὰ ἐφάνη. τῷ δ' αὖ γενομένῳ φαμὲν ὑπ' αἰτίου τινος ἀνάγκην εἶναι γενίσθαι.*

Sic Plato. Nec is primus fuit, qui de deo ut totius mundi fabricatore verba fecit. Jamdudum antea philosophi idem proposuerant. Quamquam enim ei qui philosophi ionici vocantur plerumque naturae mundi perscrutandae studiosi, alius aliud principium materiale ad universitatem rerum explicandam protulerat, tamen, id quod jam Lactantius suo jure in institutionibus divinis (lib. I.) praeclare dictis monstravit, Thaletis Milesii, Pythagorae Crotoniatae, Anaxagorae, Antisthenis, Cleanthis, Anaximenis, Chrysippi, Zenonis sententiae quamvis incertae sint, omnes eodem spectant, ut providentiam unam esse uno ore consentiant. Sive enim natura, inquit Lactantius, sive aether, sive ratio, sive mens, sive fatalis necessitas, sive divina lex, sive quid aliud dixeris, idem est, quod nobis dicitur deus. Nec obstat appellationum diversitas, cum

ipsa significatione ad unum omnia revolvantur. Plato autem monarchiam plane aperteque defendit nec aethera aut rationem, aut naturam, sed, ut est, deum nominat; ab eo hunc mundum perfectum et mirabilem esse fabricatum.

Quibus expositis, dijudicandum erit, Platonem, quamvis in ejus dialogo Timaeo mythice multa atque obscure expressa esse videantur, tamen inter mundum deumque discrimen statui strenue velle, nec non contendere, mundum initii expertem non esse i. e. a pantheismo prorsus abhorret. Porro Plato inter deum qualis per se est eundemque sese generi humano revelantem statuit discrimen. Quae sententia implicite quidem inesse videtur, si ait, opificem atque patrem mundi invenire quidem difficile esse et cum eum jam inveneris, praedicare in vulgus, nefas, (Tim. p. 28, c.)

Utrumque nobis apud Philonem quoque obviam occurrit. Principale discrimen interest inter deum ac mundum. Nulla inter utrumque ratio intercedit. Deus omnibus superior a Philone describitur: *αὐτὸ γὰρ ἑαυτοῦ πλῆρες καὶ αὐτὸ* (scil. *τὸ ὄν*) *ἑαυτῷ ἱκανὸν καὶ πρὸ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως καὶ μετὰ τὴν γένεσιν, ἐν ὁμοίῳ.* Deus Philonis omnis materiae perquam immo absolute expers, stabilis, sibi constans est cujus interna essentia neque recte intelligi neque vere nominari potest. Ad Gen. XVII, 1: *ἐγώ εἰμι θεὸς σός* adnotavit: haec verba *καταχρηστικῶς*, nec vero *κυρίως* intelligenda sunt. *τό γε ὂν, ᾗ ὄν ἐστιν, οὐχὶ τῶν πρός τι.* Et: *τὸ τῶν ὄντων πρεσβύτερον ἄῤῥητον· κύριον ὄνομα θεοῦ ὁ ὤν* Exod. III, 14. *Οὐδὲν ὄνομα ἐπ᾽ ἐμοῦ κυριολογεῖται, ᾧ μόνῳ πρόσεστι τὸ εἶναι.* Non aliunde pendet, nisi a se ipso. Omni ab malo absolute abhorret. Sanctissimus est. (*Ἔχθρον θεῷ κακία*).

Ex his, quae commemoravimus, facile intellegitur, Philonis ex sententia deum extra ac supra mundum esse omnibusque rebus visibilibus superiorem absolutamque habere essentiam. Hac in re cum Platone consentit. At differt ab illo etiam eo, quod, cum Plato in dubio relinquat, utrum summae boni ideae i. e. deo hypostatica essentia attribuenda esse videatur necne, quin Philo, utpote qui praeter philosophiam cum Graecorum, tum Platonis testamenti veteris revelationem cognitam habuerit, aliter ac Plato doceat et rectius quidem nec non essentiam dei hypostaticam non modo non neget, verum etiam contra illud Heracliti: *Ἓν καὶ τὸ πᾶν* sono efferat, dubium non est: *Εἷς καὶ τὸ πᾶν.**)

Quo fieri potuit, ut Philo summam beatitudinis amplitudinem deo attribueret (*ἄλυπός ἐστι καὶ ἄφοβος καὶ ἀκοινώτητος κακῶν, ἀνένδοτος, ἀνώδυτος, ἀκμὴς, εὐδαιμονείας ἀκράτου μεστός.* Mangey: De Cherubim I, 154.) Quod personae notionem nullo modo turbari voluit, propterea etiam tam argute, quam vehementer omnes opiniones anthropomorphisticas aut anthropopothicas rejicit, quae *τὸν ὄντως ὄντα* vel *τὴν οὐσίαν κατ' ἐξοχήν* in vilem mancamque hominum sphaeram detrahere ullo modo viderentur. Cujus rei exemplaria non solum iterum apud Platonem, quem sententiam invidiae dei (*ἀγαθοῦ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος* Tim. p. 29. E.) refutare ex Timaei dialogo satis luculenter constat, sed etiam jam ante Platonis aetatem in libris Xenophontis Colophonensis inveniuntur. Cuius ex fragmentis v. g. Clemens Alexan-

---

*) De notione dei platonica eandem, quam nosmet protulimus, sententiam invenies apud Schwegler: Geschichte der Philosophie im Umriss, ed. 5, p. 56.

drinus (strom. V, 601 C.) et Eusebius (praepar. evang. XIII, 13) hos versus tradiderunt:

Εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρωποῖσι μέγιστος
Οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίιος οὔτε νόημα.
Ἀλλὰ βροτοὶ δοκέουσι θεοὺς γεννᾶσθαι ἔδειν τε
Τὴν σφετερὴν τ' αἴσθησιν ἔχειν ζωὴν τε δέμας τε —
Ἀλλ' εἴτοι χείρᾶς γ' εἶχον βόες ἠὲ λεόντες
Ἢ γράψαι χείρεσσι καὶ ἔργα τελεῖν ἅπερ ἄνδρες,
Ἵπποι μὲν θ' ἵπποισι, βόες δέ τε βουσίν ὁμοίας
καὶ κε θεῶν ἰδέας ἔγραφον καὶ σώματ' ἐποίουν
Τοιαῦθ οἷον περ καὶ αὐτοὶ δέμας εἶχον ὁμοῖον.

Qui versus monstrare nobis possunt, quantopere viles deorum sententias jamdudum philosophi abjicere studuerint.

Sed ad Philonem redeamus; Altero quoque nomine differt a Platone. Qui cum doceat, deum idem esse, quod ideam boni, Philo perinde ac tempore posteriore philosophi neo-pythagoraeici, eum non modo supra omnem humanam intelligentiam, verum etiam supra ideam illam boni ipsam extulit. *Κρείττων* ex ejus sententia *ἐστί τε ἢ ἀρετὴ καὶ κρείττων ἢ ἐπιστήμη καί κρείττων ἢ αὐτὸ τ' ἀγαθὸν καὶ αὐτὸ τὸ καλόν* (De mundi opificio Mang. I. 2).

Haec habui quae de Philonis theologia strictiore sensu breviter dissererem ex nostrique ipsius scriptis haurirem. Quae qui noverit, eum putaturum puto, nostrum nil nisi deum quem dicunt transcendentalem docuisse. Quodsi quid porro de mundo docuerit, intellexeris, aliter haud dubie judicabis.

Quamvis enim altera ex parte deum a mundo absolute discretum omnibusque rebus visibilibus superiorem esse doceat, altera tamen ex parte interna necessitatis lege quasi coactus, cum mundo etiam eum iterum conjungit. Quamvis, qualis deus per se sit, nulla posse exprimi appellatione eumque absolute *ἄποιον* esse contendat noster,

facere tamen non potest, quin certis quibusdam attributis imbecillitati humanae propinquiorem eum reddat ejusque essentiam his adjectivis describat; *ἀμετάβλητος*, *ἄτρεπτος*, *βέβαιος*, *μόνος*, *εἷς καὶ τὸ πᾶν*, *εἰλικρινής*. Perinde etiam inter mundum ac deum necessitudinem quandam exsistere, non negat. Quippe significatur is, qui omnia complectatur cunctaque vi ac virtute sua impleat (*περιέχων*, *οὐ περιεχόμενος*), qui omnia provideat *ὁ τῶν ὅλων νοῦς προνοητικός ἐστιν ὧν γεγέννηκεν*) qui ut *δημιουργὸς*, *ποιητὴς τῶν πάντων* auctor atque artifex sit cunctarum rerum visibilium et invisibilium, principium ac sequens, omnium rerum *ἀρχὴ καὶ τέλος*. Quid quod deo etiam, quatenus cum mundo conjunctus est, certas quasdam attribuit affectiones, omnipotentiam, omniscientiam, sapientiam. Ante omnia vero creatio mundi opus divinum est. Quemadmodum Plato in Timaeo p. 28, cum quae mutationi obnoxia esse videmus ea initii expertia esse non possint, sed facta et ab aliqua causa facta esse necesse sit, ut jam supra demonstravimus, doctrinam de demiurgo proposuerat, perinde et Philo causam originis mundi extremam *τὸ αἴτιον* vel *τὸ ὑφ' οὗ* proposuit. Praeterea autem *τὸ ἐξ οὗ*, *τὸ δι' οὗ*, vel *τὸ ἐργαλεῖον* i. e. instrumentum, *τὸ δι' ὅ* vel *ἡ αἰτία* observanda sunt. Atque his in rebus Platonis philosophiae premit vestigia. Namque ut ex vetere testamento, ubi si non disertis verbis expressa, at in verbo בָּרָא quod nonnisi de actionibus divinis usurpatur (Delitzsch, Commentar über die Genesis ed. 3, p. 91.) implicata est creatio ex nihilo, hanc creationem docuerit, tantum abest, ut contra Platonem sequatur, qui in Timaeo *ἐκ τοῦ μὴ ὄντος* vel *ὕλης* per demiurgum formatam esse universitatem rerum, monstravit. Perinde atque Plato noster etiam tempus ex eadem materie ortum esse contendit. Ante enim res cre-

atas nullum omnino fuit tempus. (*Χρόνος οὐκ ἦν πρὸ κόσμου, ἀλλ᾽ ἢ σὺν αὐτῷ γέγονεν ἢ μετ᾽ αὐτόν.*) Nam cum deus non prius intelligere coeperit, quam agere, is qui nulla re indiget, ne spatiis temporis quidem ullo modo indiget (*οὐ προσεδεῖτο τοῦ χρόνων μήκους*).

Si loquitur, fit etiam, quod loquitur (*ὁ θεὸς λέγων ἅμα ποιεῖ*). Homines nimirum quippe qui imbecilli temporisque cursui subjecti sint, ne originem quidem mundi temporis expertem cogitare possunt, quare *διὰ τὰς ὠφελείας ἡμῶν παιδευομένων* omnia in ordinatam quandam temporum seriem redacta sunt. Hae sententiae eodem spectant, quo Platonis. Haec autem sunt ejus verba: Demiurgus imaginem aevi mobilem effingere decrevit; ac dum coelum formaret et exornaret, fecit aeternitatis in unitate manentis aeternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos „tempus“ vocavimus (*κατ᾽ ἀριθμὸν ἰοῦσαν αἰώνιον εἰκόνα*). Dies porro et noctes et menses et annos, qui ante coeli creationem non erant (*οὐκ ὄντες πρὶν οὐρανὸν γενέσθαι*) tunc nascente mundo simul nasci jussit. (*καὶ τότε ἅμα ἐκείνῳ συνισταμένῳ τὴν γένεσιν αὐτῶν μηχανᾶται κ. τ. λ.*). Porro quod attinet ad *τὸ δι᾽ οὗ τὸν λόγον* nominat. De quo infra copiosius disseremus.

De fine mundi (*τὸ δι᾽ ὅ*) et ipse Plato in Timaeo 29 d. docuerat. Dicamus, inquit, quam ob causam, *δι᾽ ἣν αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν. Ἀγαθὸς ἦν ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος. Τούτου δ᾽ ἐκτὸς ὢν, πάντα ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια αὐτῷ. Ταύτην δὲ γενέσεως κόσμου μάλιστ᾽ ἄν τις ἀρχὴν κυριωτάτην παρ᾽ ἀνδρῶν φρονίμων ἀποδεχόμενος, ὀρθότατα ἀποδέχοιτ᾽ ἄν.*

Perinde Philo *τὴν ἀγαθότητα* dei causam et scopum mundi creati nominat nec vero aesthetico tantummodo sensu

velut Plato (Philebus 64 et 65) sed sublimiore ac morali sensu. Ἀγαθότητα enim vel bonitatem in libro de vita Mosis δύναμιν εὐεργετικὴν καὶ χαριστικήν nominat, qua universalitatem rerum implevisse deum ait. Ὁ εὐμενὴς καὶ ἵλεως, ὁ πάντα διὰ πάντων πεπληρηκὼς τῆς εὐεργέτιδος ἑαυτοῦ δυνάμεως. Mang. II, 155. Quibus expositis ad notionem τοῦ λόγου explicandam transeamus atque quid Philo protulerit, deinde vero quid nobis judicandum sit, exponamus. Philo autem haec docuit: Nulla omnino intra deum mundumque ratio intercedit, ut jam supra demonstravimus. Τὸ γὰρ οὐ ᾗ ὂν ἐστιν, οὐχὶ τῶν πρός τι. Attamen in absoluta a mundo sejunctione deus permanere non potuit. Aliquo vinculo cum rerum visibilium universitate conjungendus erat. Quamobrem Philo, velut jam demonstravimus, quamvis internam dei essentiam ne minima quidem hujus labis terrenae contagine inquinari vellet, tamen certis quibusdam affectionibus absolutam divinitatem non determinare non potuit. Cavens vero, ne deus ipse, qui, qualis per se sit, neque mentis humanae acies intelligere neque cujusquam os eloqui possit quicquam immediate commune habeat cum rerum visibilium universitate, viribus inter deum mundumque intercedentibus deo opus fuisse docuit. Hae sunt δυνάμεις. Nihil aliud igitur sunt δυνάμεις ac certae quaedam rationes a summo deo exeuntes et ad totum regnum mundi finibus circumscripti pertinentes M. I, 229. Quo fit, ut deus, quamvis ultima mundi creati causa sit censendus tamen tetigisse eum nullo modo dici possit. Ἐκ τῆς οὐσίας πάντ᾽ ἐγέννησεν ὁ Θεὸς, οὐκ ἐφαπτόμενος αὐτός. Ἀλλὰ τοῖς ἀσωμάτοις δυνάμεσιν, ὧν ἔτυμον ὄνομα αἱ ἰδέαι, κατεχρήσατο πρὸς τὸ γένος ἕκαστον τὴν ἁρμόττουσαν λαβεῖν μορφήν. Alibi διὰ τοῦ λόγου mundum dicitur creavisse. Jam silentio praetereo, has

vires, cum diversitatem affectionum modo magis modo minus hypostatice repraesentare videantur, a nostro ideo varias in classes dividi, quae reperiuntur in loco M. I, 431, ubi Philo in verbis dei: *καταβάντες συγχέωμεν* Gen. XI, 7 explicaturus pluralis formam eas, satellitum instar, thronum dei circumstantes describit. Porro silentio praetereo, diversis in viribus diversam inesse auctoritatem atque dignitatem, *τῇ δυνάμει βασιλικῇ* et *προιητικῇ*, quae etiam *εὐεργέτις* nuncupatur, summam atque eximiam, aliis velut *δυνάμει προνοητικῇ, νομοθετικῇ ἴλεῳ δυνάμει* minorem. Silentio denique praetereo, in contrarietatem omnino incidisse Philonem, cum unum quidem deum esse nullo modo negaret, nec tamen non contenderet, plenitudinem esse virium divinarum.

Nostra ante omnia id interesse puto, quod etiam hac in doctrina nostrum vestigia Platonis prementem videmus, quippe cujus doctrinam de ideis propositam aperte in suam theosophiam ita noster transtulerit, ut eam cum doctrina de *λόγῳ* intime connecteret. Quod qui intelligendum sit, mox clarius apparebit.

Quid est autem *ὁ λόγος*? Haec notio in universum apud nostrum et de ratione et de oratione usurpatur et ita quidem, ut primum ad homines, deinde vero ad deum pertineat. Quodsi v. g. Philo dicit: *Διὰ γλώττης καὶ στόματος φερόμενον τὸ τοῦ λόγου νᾶμα συνεκφέρει τὰ νοήματα*, nihil aliud nisi orationem humanam internas cogitationes pronunciantem significat. Jam deinde inter duplicem orationem humanam discernit, inter *λόγον προφορικόν* et *λόγον ἐνδιάθετον*. Illo vocabulo oratio pronunciata, hoc oratio, quatenus in cogitationibus animi latet, describitur. Hunc utrumque *λόγον* ad homines potissimum pertinere apparet ex hoc loco: *Διττὸς ὁ λόγος ἐν ἀνθρώπῳ*

φύσει ὁ μέν ἐστιν ἐνδιάθετος, ὁ δὲ προφορικὸς καὶ ὁ μὲν οἷά τις πηγή, ὁ δὲ γεγονός, ἀπ᾽ ἐκείνου ῥέων. M. II, 154. Sed ad deum etiam pertinet haec vox. Tum primum significatur verbum divinum, oratio dei. Sic Philo libros veteris testamenti *τὸν ἱερὸν λόγον* vocat. Quid quod Mosem ipsum in quo et ex quo deus loquatur, *τὸν ἱερὸν λόγον* nominat. Legibus deinde a numine promulgatis idem nomen inditur. *Ὁ νόμος γὰρ οὐδὲν ἢ λόγος θεῖος προστάττων ἃ δεῖ καὶ ἀπαγορεύων ἃ μὴ χρή, ὡς μαρτυρεῖ ὁ Θεός.* Quo in loco *τὸν λόγον* propius jam accedere ad significationem rationis, haud difficile intelligitur. Philo enim, qui, quae Stoici de oboedientia naturae docuissent, non ignorabat (*τῇ φύσει ἀκολουθῶς ζῆν*) in ratione, quam optimam animi formam nominabat (*τῆς ψυχῆς ἄριστον εἶδος νοῦς καὶ λόγος κέκληται*), nil nisi legem naturae ipsam conspexit, quo fiebat, ut crebro verba faceret de *ὀρθῷ λόγῳ, τῷ τῆς φύσεως ὀρθῷ λόγῳ.* Atqui *τὸν ὀρθὸν τῆς φύσεως λόγον* simul universitatis rerum harmoniam significat. Et cum leges naturae pro vivis habeantur perinde ac vires, quarum efficacitas ex eis apparet,*) non mirum, quod noster eas eodem loco, quo angelos, ponit. Jam videas progressum hujus notionis a Philone explicatae. Multas habet significationes, quae mediae sunt inter abstractionem et personificationem sive *προσωποποιΐαν.* Insuper intimam *τοῦ λόγου* cum viribus necessitudinem videas! Modo *ὁ λόγος* idem cum eis ponitur, modo his superior ac sublimior adumbratur. Si ait Philo M. I, 229

*) Sic ut exemplum analogicum afferam, me apud Boehnerum in ejus libro: „Cultur und Christentum“ haec verba legere memini: Die Naturgesetze sind gar nichts anderes als lebendige Gedanken Gottes.

sapientem, qui gubernatorem omnium rerum penitus velit cognoscere viam sapientiae ingredientem in λόγους θείους incidere, hi λόγοι aperte vires sunt inter deum mundumque intercedentes ac conciliantes. Sin vero aliis locis ὁ λόγος nominatur λόγος σπερματικός, si discernitur ab singulis λόγοις σπερματικοῖς sive λόγοις τῶν ὅλων, si eo disjungitur ab ceteris viribus, quod Philo eum δύναμιν significat κατ' ἐξοχήν, δύναμιν τὴν μεγάλην, si denique λόγος significatur auriga, cui quodammodo perinde atque equi vehentes redario, oboedire ceterae vires debent, virium pater atque princeps, ἀρχάγγελος, πρεσβύτατος ἄγγελος, immo vero θεός M. II, 625, quid clarius est, quam τὸν λόγον complexum quasi omnium virium ex eo emanantium esse? Si vero, quemadmodum δυνάμεις ἐκ τοῦ λόγου emanant, sic ὁ λόγος ex deo emanavit (θεὸς λογικὴ πήγη), inter utrumque intima invenitur necessitudo, ita ut eadem ratio sit atque inter τὸν λαλοῦντα καὶ τὸν λεγόμενον. Cum deus per se toto genere ab omni materiae contagine abhorreat, per τὸν λόγον mundum procreat. Ut ὁ χαρακτὴρ, sic etiam est ὁ λόγος τὸ ἐργαλεῖον θεοῦ. Est τὸ δι' οὗ τοῦ κόσμου. Est quasi locus, quo omnes ideae divinae conveniebant, unde discernendo et separando (λόγος τομεὺς τῶν πάντων) proveniebant. Est, si brevibus verbis exprimere volumus, ὁ λόγος idea mundi in dei mente versans, e deo egrediens (cfr. Luthardt: De compositione evangelii Johannei 1852, p. 5). Quis tam caecus est, quin videat, his in omnibus cogitationibus Platonicam de ideis doctrinam quasi resonare? Si Phaedrum dialogum p. 247 f. contuleris, facile invenies, ideas essentias sinceras, nulla compagis terrenae contagione inquinatas per τὸν νοῦν solum intelligendas esse easque per se aeternas, neque exortas neque evanescentes (μονοειδὲς ἀεὶ ὂν sive κατὰ ταὐτὰ ἔχον, εἰλικρινὲς,

καθαρὸν, ἄμικτον Conviv. p. 211 f.) esse atque certo quodam loco coelesti versari.

Nec tamen ad Platonem hanc idearum doctrinam rettulit Philo. Ait ejus auctorem Mosem fuisse. *Μωϋσεώς ἐστι τὸ δόγμα τοῦτο, οὐκ ἐμόν.* Cum Moses docuerit Gen. I, 27: *καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα θεοῦ*, hanc sententiam non solum de homine, verum etiam de toto mundo valere. M. I, 4. Quamvis, quin Platonis philosophia multum fecerit ad doctrinam de *λόγῳ* Philoneam, dubitari non possit, quis, qui ex Philonis sententia Platonem ex Mose hausisse cogitationes suas noverit, mirabitur, quod propter idearum doctrinam etiam ad Mosem referendam esse putavit?

Sed accedit, quod Philo, quae de *λόγῳ* docuit, etiam de sapientia docuit atque utramque hanc notionem revera et in testamento vetere nobis obviam crebro occurrere et in theologia judaica ultimis a. Chr. n. saeculis exorta, facile intelligemus. Primo loco de veteris testamenti doctrina disseramus. In scriptura sacra enim inde a primo geneseos capite usque ad Siracidam si non hujus doctrinae progressum, at hujus vocabuli mentionem invenimus. Creatio enim mundi per verbum dei conflata est (cfr. Ps. XXX, 6—9). Verbo dei affectiones dei attribuuntur (cfr. Jes. XV, 8; Ps. CXIX et a deo sejungitur Ps. CVII, 20; CXLVII, 15. Porro sapientiae, cujus enunciatio verbum creans fuit personae character adscribitur Job. XXXVIII, 12; Prov. VIII, 9; Sir. I, 1—10; XXIV, 3—12; Denique ex libro Sapientiae hypostasis sapientiae luculenter intelligitur c. VII, 7—c. XI. Quid quod *μονογενὴς* vocatur VII, 22.

Atque etiam theologia judaica respicienda est. Inter paraphrases illas, quae chaldaicae vocantur, ejus potissi-

mum ratio habenda est, quae Oncelos nominatur. Hic verbum quo deus mundum creavisse perhibetur מֵימְרָה nuncupatur.

Duplex est igitur fons, unde Philo hanc *τοῦ λόγου* notionem hausit, ethnicus et judaicus. Atque utriusque religionis sententiae hac quoque in notione ad unitatem coaluerunt. Atque cum Johannes evangelium scriberet, incipiens his verbis: *Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος* necessitate supersedere sibi videri potuit metuendi, ne, quid hoc vocabulo exprimere vellet, nemo sciret. Immo totus orbis terrarum scivit, quid hoc vocabulum sibi vellet. Nec vero eis innotuit ea res, quam Johannes pronuntiaturus erat. Nam quamvis non defuerint, qui contenderent, Philoneam et Johanneam *τοῦ λόγου* notionem unam eandemque esse, quorum in numero Gfroererus, Lückius, Grossmannius multique alii ducendi sunt, res tamen aliter sese habet. Quod ad vocem ipsam attinet, ne hanc quidem Johannes ex Philone prompsisse necesse est, eam etiam ex veteris testamenti scriptis potest hausisse. Atque faciamus, eum Philonis scripta novisse, utique quaeritur, utrum cum vocabula eadem sint res etiam eis expressa sit eadem, necne. Quid hac de re dicendum? Luthardus in libello: De compositione etc. p. 5 sententiam, ne minimam quidem similitudinem esse inter utriusque auctoris *τοῦ λόγου* notionem ita stabilivit, ut Johannem de Philone vix quicquam audire potuisse contendat ac verisimile facere studeat. Hoc equidem non possum concedere. Nam etiam doctrina Philonea inter homines eruditos dumtaxat illius aetatis et Judaeorum et paganorum latissime divulgata fuit jam propterea quod Philo ipse, tanquam dux et princeps eorum, qui in consortione arctius socianda inter hanc utramque partem operam posuerunt, ut Grossmannii verbis utar, orientis

solis oras occidentisque plagas simul diversa facie spectans bifrontis Jani instar esse censendus est. Ne vero, id quod nunquam concedimus, ipsius Philonis doctrina tam late propagata atque divulgata fuerit, ut etiam Johannes evangelista ejus accuratiorem acciperet conscientiam, hoc tamen constat, Grossmanniusque et ipse non modo dixit, sed etiam certis causis testimoniisque firmis ex ipsis scholis petitis probavit, eas, unde hauserit Philo, sententias a majoribus jam votas vetustatisque religione nobilitatas multis jam ante Philonis aetatem saeculis multorum hominum mentes animosque implevisse, ita ut etiamsi Johannes hoc, de quo agitur, vocabulum non hausisset ex scriptis Philoneis, tamen ex simili posset promere sententiarum similium plenitudine. Quid vero impedit, quominus Johannes nomen ex Philonis theosophia sumpserit et tamen rem prorsus novam atque inauditam expresserit, docuerit, pronuntiaverit?

Atque si, quid de λόγῳ Philonis judicandum sit, exponere mihi propositum est, hoc ita optimum in modum explicare posse mihi videor, ut thetico potius, quam polemico modo quid inter utramque notionem τοῦ λόγου mea ex sententia discriminis intercedat, diversitatis aliarum sententiarum ab aliis prolatarum rationem nullo modo habens explicare breviter coner.

Ante omnia hac in disceptatione id potissimum observandum erit, utrum Philo perinde atque Johannes τὸν λόγον personam divinam revera et haberi voluerit et habuerit, necne. Quod quin a Johanne dilucide doctum sit, a nemine unquam in dubium vocatum est. Aliter vero res se habet de Philone. Cujus τοῦ λόγου natura, utrum hypostatica an non hystatica censenda sit, hac in re hucusque viri docti non conveniunt. Quod ipsum jam mihi videtur testimonium esse, utique discrimina inter utriusque

auctoris sententiam hac de re esse. Gfroererus e. g. contendit, *τόν λόγον* plus valere, quam solam ac nudam personificationem. (Gfroerer, l. c. I, p. 143 squ.) At mihi, quamvis permulta attulisse sibi videatur rem probantia (p. 278 squ.), quae equidem iterum iterumque lectitavisse me fateri possum, tamen, si ea, rem sic se habere, mihi persuasissent dicere vellem, veritatem non dicerem. Primum enim ipse concedit, tropice tantum intelligendas esse multas affectiones personales *τῷ λόγῳ* attributas nec quicquam aliud esse nisi personificationes ex quibusdam imaginibus a vetere testamento usurpatis (*ἀρχιερεύς, εἰκὼν θεοῦ*, aliae) profectas. Porro autem ei, quos citavit, loci, ut realem esse divinam personam *τὸν λόγον* esse, probet, nostra ex sententia, quod probare debent, non probant. Nam omnia illa vocabula, quibus *τὸν λόγον ἄνθρωπον θεοῦ, ἱκέτην, ἀρχιερέα, πρεσβύτατον ἄγγελον*, immo vero *θεὸν* nominat, plerumque tam allegorice dicta sunt ut personificationes quidem nec vero realis personae significationes inesse videantur. Quod Gfroererus ipse tam vehementer sensisse videtur, ut haud raro problematice potius quam assertorice dicat: Fast kann nun hier kaum mehr Personification angenommen werden ... (p. 266), quibus verbis hoc posse fieri et concedendum et non concedendum esse uno velut tenore dicit.

Cur, si re vera Philo *τὸν λόγον* divinam personam intelligi voluit, hac de persona tam ambigue locutus est, ut fere omnes in dubio relinquere cogantur, quomodo res explicanda esse videatur.*) Quid? Num de suo *λόγῳ*

*) Kahnis, Luth. Dogm. I., 316: Es wird schwerlich je gelingen, in den Begriff des Logos, der, ein Bild der philonischen Philosophie, aus verschiedenartigen Elementen zusammengesetzt ist, volle Einheit und Klarheit zu bringen.

Johannes evangelista semel tantum onomatopoietice loquitur? Consentaneum est, ea, quae ὀνοματοποιητικῶς dicta et docta sint, utique ad personam quandam spectare videri. Si vero quis de qualibet persona sive humana, sive de persona divina verba facit, eum semel tantummodo aut allegorice aut tropice, aut onomatopoetice loqui nullo modo opus erit. Quod vero Philo de λόγῳ hypostatice magis videtur docere quam profecto docet, hac etiam re probatur, permultos illius aetatis homines inter Judaeos paganosque personalem dei cum mundo conjunctionem ardenter cogitavisse, immo divinam quandam coelestemque naturam, quam λόγον nominabant, hanc dei cum hominibus hominumque cum deo communionem allaturam esse speravisse.

Deinde Philonis λόγος nulla ratione cum spe Messiae conjunctus est. Philo quidem τὸν λόγον Judaeos cunctos uno eodemque ad patriam reducere ait, si quidem in loco: M. II, 436 θειοτέρα illa ἢ κατὰ φύσιν ἀνθρωπίνη ὄψις, ἀδήλη μὲν ἑτέροις, μόνους δὲ τοὺς ἀνασωζομένους ἐμφανὴς λόγος dictus est. At quid hoc sibi vult? Haec verba quemadmodum munus messiae expiatorium silentio praetereunt, sic ne ad imaginem quidem Messiae talis quadrant, qualem in vetere testamento invenimus, quippe in quo (Jes. LXI, 1. 2; c. LIII;) et doctrinis et vaticiniis is describatur, qui docendo, patiendo, moriendo populum peccatis multisque hujus vitae malis atque incommodis liberaturus sit. Nam ne minima quidem salutis aeternae commemoratio hisce in verbis fit. Nec peccata hominum nec dei gratia tanguntur. Toto coelo aliter res sese habet apud Johannem. Cum deinde Johannes dicat: Ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, Philo hoc ne cogitare quidem potuit, nedum pronuntiaret. Ejus enim λόγος nil est nisi idea ex multis

diversisque elementis conflata, quae idea aliis locis aliorum gestat colorum diversitatem. Est autem secundum Platonis doctrinam in „Republica“ propositam mox idea idearum, mox ex Stoicorum sententia anima mundi, mox ex Cabbalistarum decretis ac placitis princeps atque dux illarum „sephirarum“ (*δυνάμεων*) quas assidue ex dei essentia emanantes deumque in omnium rerum sive creatione, sive regimine quasi adjuvantes fingebantur. Nec vero quicquam ulla ratione habere potuit commune cum organismo *σαρκικῷ*, cum natura corporea neque unquam, ut omnia brevi complectar, fieri potuit *σάρξ*. Hoc autem potissimum de *λόγῳ* aeterno i. e. de Christo praeexistente revera ac mirabili modo hac in terra factum esse, ita ut *ἡ δόξα αὐτοῦ* appareret ante oculos hominum, id Johannes evangelista disertis verbis (Joh. 1, 14) eloquitur (cfr. Hebr. I, 3).

Deinde attributa *τῷ λόγῳ* adscripta ejusdem quidem soni nec vero sensus sunt. Uterque eum *θεὸν* nuncupat. Sed toto genere apud Philonem hoc vocabulum ab eis discrepat, quae Johannes vult dicere scribens: *καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος*. Nam quod cum praetermittat articulum *ὁ* evangelista, id *Θεὸς* tenuiore vel humiliore sensu intelligi voluerunt Paulus, Morus, Kuinoel, id paene pro nihilo habendum est. Nam in aliis quoque versibus evangelii *θεὸς* et *ὁ θεὸς* promiscue usurpantur ad deum significandum (I, 6, 12, 13, 18; III, 2, 21; XIII, 3). Accedit quod hoc versu *θεὸς* praedicatum est semper sine articulo ponendum graeco in sermone. Johannes igitur testatur, in *τῷ λόγῳ* dei essentiam absolutamque divinitatem in principio rerum infuisse. Quid autem docet Philo? Docet, non nisi *ἐν καταχρήσει τὸν λόγον* deum vocari. Quod inde apparet, quod in loco Gen. XXX, 13 (Mang. I, 655) verba LXX: *ἐγὼ εἰμὶ ὁ θεὸς* (deus proprie ac jure sic dictus)

ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ θεοῦ (dei ἐν καταχρήσει χωρὶς ἄρθρου i. e. sine articulo sic nominati) arbitario quidem, sed graviter defectum articuli sono extulit.

Quid quod Philo τὸν λόγον δεύτερον θεὸν significat, quod ἐν ταῖς ἱεραῖς γραφαῖς κυρίῳ ὀνόματι καλεῖται ὁ ὤν praeterea autem sunt αἱ παρ' ἑκάτερα πρεσβύταται καὶ ἐγγύταται τοῦ ὄντος δυνάμεις, ὧν ἡ μὲν ποιητική, ἡ δ' αὖ βασιλική, προαγορεύεται καὶ ἡ μὲν ποιητικὴ θεὸς ταύτῃ γὰρ ἔθηκέ τε καὶ διεκόσμησε τὸ πᾶν. Angelos etiam, famulos quasi dei, θεοὺς nominavit. Quae cum ita sint, quis est, qui vocabulo: δεύτερος θεός magnam eximiamque vim et significationem tribuat? Hoc loco etiam verba Grossmannii citare mihi liceat, qui, quamvis alioquin τὸν λόγον Philoneum charactere hypostatico indutum esse contendat, tamen longe abhorret ab ratione eorum, qui divinitatem tribuendam ei esse putent. Dico haec verba: „Esse naturam non corpoream et a deo diversam, quamquam proximam, sed eandem tamen deo inferiorem a deo prognatam et a deo pendentem, quae cum earum rerum, quae τὰ ἀκόλουθα καὶ μετὰ θεὸν noster appellare solet, principatum obtineat, inter deum utpote mentem animumque rerum universitatis (τὸν τῶν ὅλων νοῦν) et mundum medium quendam locum occupet, perinde ut in hominis τοῦ βραχέος κόσμου natura individua λόγος inter νοῦν et αἴσθησιν interpositus est, hoc planissime arbitror." (Grossmannius, de λόγῳ p. 68 squ.) Quae omnia si breviter complecti volumus, λόγος Philoneus non modo non τῷ θεῷ ὁμοούσιος, sed dei nomine ne dignus quidem, deo proprio vero inferior atque humilior est.

Nec aliter res se habet de aliis attributis ab utroque τῷ λόγῳ adscriptis. Ejusdem quidem soni, nec vero sensus sunt.

Denique Johannes non profert doctrinam velut Philo, sed historiam τοῦ λόγου narrat.

Nec vero opus sunt plura. Toti commentationi finem imponamus! Qua si nobis persuasum fuerit, ultimis a. Chr. n. saeculis populum Judaeorum per tot saecula ab omni humanitate Graecorum sejunctum nec situ terrae, nec usu linguae, nec literarum artiumque progressu et claritate commune quicquam cum Graecis habentem cum eisdem Graecis, immo cum eorum genio peculiari tam arcte quasi coaluisse, ut hujusce ingeniorum societatis vestigia cum in aliis, tum vel maxime in Philonis scriptis quae nostram ad aetatem pervenerunt hucusque exstent, non modo non studii, laboris, temporis jacturam, sed potius operae pretium fecisse mihi videar.

Consentaneum est, paganis quoque illius aetatis ex hac cum Judaeis necessitudine magnum fructum in rebus religionis allatum esse. Qua de re hac in commentatione amplius disserere non erit opus. Una autem restat, ni fallor, quaestio, quae, ut recte solvatur, multum haud dubie nostra puto interesse.

Forsitan nimirum quispiam quaerat, qui fieri potuerit, ut Graeci, quos qui novit, eos suarum virtutum illustrium, suarum literarum, artium, suorum facinorum domi militiaeque conflatorum, immo suae ipsorum religionis superbia tantopere elatos fuisse, non ignorabit, ut eos, qui Graeci non essent, barbaros vocarent, in hanc, de qua scripsimus, intimam cum Judaeis societatem omnino intrarent. Nonne facile potuit fieri, ut perinde ac Scythas, Macedones, Persas, alios populos, sic etiam Judaeos ut homines obscuritate opertos propter barbaram superstitionem (Cicero pro Flacco 28), ut odium generis humani (Tacit. hist. V, 2, 8 squ.) si non prorsus repudiandos atque detestandos,

at contemnendos et utique negligendos sibi putarent? Quod hoc factum non est, hujus quoque rei causae inveniendae sunt in eis rebus, quibus providentia dei omnia ad grandem illam praeparationem evangelicam adhibuit, quam negativo sensu apud paganos etiam conflatam sensim esse inter omnes constat. Negativo inquam sensu. Vincula enim, quae in domibus, in familiis, in civitatibus, in religionibus homines cum hominibus atque cum diis connexerant, discissa atque soluta sunt. Fide pristina deorum dubitationibus philosophorum et scepticismo aetatis ruinis collapsa funditusque eversa in omni publicae privataeque vitae genere, intemperantia, nimia libidinum indulgentia, turpissima ac foedissima vitia animis petita sunt adeoque in publicum missa est nequitia et in omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, sed nulla esset. (Seneca, de ira II, 8.) Qua communi hujusce luis pestilentiaeque contagione infecti, contra injurias vitae beneficium mortis habuerunt. Fuerunt, qui religionum ethnicarum, quamvis cum elementis maxime variis peregrinorum populorum mixtarum, dominium tot tamque ingentibus miseriis labefactatum et literis, dubitationibus, corruptione morum, contemtu rerum humanarum divinarumque nefario, omni ex parte conquassatum mox esse interiturum cum tristitia praesagirent. Multi fuerunt, qui sua ipsorum vita summis malis oppressi et curis sollicitudinibusque contriti animi tranquillitatem frustra inquirerent neque unquam metuere non possent, ne in illis communis miseriae procellis perquam saevis cum navibus vitae ad scopulos mortiferos appellerentur appulsique naufragio communi et ipsi interirent.

Quae omnia cum negativo sensu fierent apud paganos, simul factum est, ut eis spes salutaris deum solum mundo

novum donare posse spiritum novi sideris instar illucesceret. Non mirum fuit, quod tantae labis ruinaeque aspectu vehementissime perterriti, cum, ne prorsus de sua suorumque salute desperarent, periculum esset, ultimam salutis spem capesserent apud numina peregrinarum nationum. Ad quorum cultum tanquam ultimum refugium sese receperunt. Inde syncretismus ortus est, quem ultimis a. Chr. n. saeculis tantopere floruisse memoriae proditum est. Sin vero ne in cultu novo quidem novorum deorum salutem veritatemque tam enixe expetitam unquam se reperturos esse vehementer iis dolendum fuit, quid mirum, quod cum neque in philosophia philosophorum, neque in rudi superstitione plebis tunicatae neque in literis arcanis hominum eruditorum, neque in mysteriis sacris initiatorum, neque in libidinosis indomitisque corporum voluptatibus, quod ardenter cupiverunt, adepti essent, ad cultum unius dei se converterunt fastidioque pristinorum errorum impleti, salutis, veritatis, animorum tranquillitatis possessionem in synagogis judaicis ubique terrae eis patefactis cupide expetiverunt?

Quemadmodum, sicut supra demonstravimus, monotheismus Judaeis dispersis vallum quasi fuit, quo ne prorsus ad religiones paganorum deficerent, prohibitum est, sic idem monotheismus paganis fuit ultimum quasi ex communi omnium rerum collapsu receptaculum, quo, ut salutarem veritatem in Christo apparituram expetere discerent, effectum est. Graeci, qui qua erant superbia suae nationis elati sua ex peculiari natura Judaeos oderant, deo omnia gubernante, nescio dicam, ultro an rerum natura coacti cum Judaeis multa communicaverunt et eis magis magisque se applicaverunt. Atque cum externa, quae inter populos intercedebat, vicinitate interna arctissime cohaesit mentium cum mentibus conjunctio. Quemadmodum Judaei

sinceriores religionis sententias cum paganis, sic pagani Judaeorum monotheismo allecti cum eis communicaverunt quae illi non habuerant eoque arctius cum eis conjuncti sunt, quo plura incrementa religionis verae ab eis acceperunt. Sic duo illa genera proselytarum orta sunt, quorum alteri liberiorem in modum ritus Judaeorum observare, in conciones synagogales convenire, scripturam sacram in sermonem graecum translatam retractare, eundem dominum, quem Judaei, invocare, singulis Mosis legibus multis nominibus ipsi morem gerere consueverunt, alteri omnibus his rebus nondum contenti, circumcisioni se submittere totosque ad coetum Judaeorum se applicare universamque legem observare soliti sunt. (גֵּירֵי הַשַּׁעַר et גֵּירֵי הַצֶּדֶק.)

Nec vero opus est, ut hac de re fusius exponamus. Toti commentationi finem imponamus. Quodsi, quibus rebus evenerit, reputaverimus, ut judaismus cum paganismo ultimis a. Chr. n. saeculis sensim coalesceret atque evangelio in mundo apparituro haec interna duarum rerum contrariarum conjunctio, in Philonis potissimum philosophia nobis conspicua, viam in corda multorum hominum aperiret, quamvis multos eosque haud exiguos errores cum ab hominibus in universum, tum inprimis etiam ab Philone exortos silentio non praetermittamus, tamen admirationis providentiae divinae pleni cum Paulo apostolo, judaismi et paganismi pecularium naturarum perquam perito exclamabimus: *Συνέκλεισεν γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν, ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ. Ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ· ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ!*

Αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν.

Im gleichen Verlage erschien von demselben Verfasser:

Handbuch der Kirchengeschichte

für

protestantische höhere Lehranstalten, Lehrer- und Lehrerinnen-Seminare, Realschulen, Gymnasien, sowie zum Selbststudium

in gedrungener, übersichtlicher, leichtfasslicher Darstellung.

19 Bogen gr. 8°. Preis broch. 2,50 M.

Zunächst kann ich gern gestehen, dass das Buch auf mich einen **sehr guten Eindruck** gemacht hat, **den günstigsten geradezu unter allen den Büchern, die unter gleicher Beschränkung im Stoffe für den gleichen Zweck verfasst wurden. Grund hierfür** ist vor allem der **Standpunkt in konfessioneller Beziehung.** Was hierüber im Vorwort (S. IV und V) gesagt ist und dann im Verlaufe des Buches durchgeführt wird, kann ich gern und voll unterschreiben. **Nicht minder Anerkennung verdient die Anordnung,** die **übersichtlich und lichtvoll bei aller Fülle von Paragraphen den leitenden Faden nirgends verlieren lässt.** Ebenso hält die Darstellung die **rechte Mitte zwischen der Beschränkung, die einem Schulbuche,** und dem **erbaulichen Tone, der einem Religionsbuche ziemt.** Endlich wüsste ich mir auch betreffs der **Stoffauswahl nichts Wesentliches hinzu- oder wegzuwünschen.**

(Sem.-Direktor **Dr. Boedstein** in Hilchenbach.)

Auf Ihr Handbuch der Kirchengeschichte war ich bereits durch eine sehr günstige Rezension hingewiesen worden; ich habe aber nun genauere Einsicht genommen und ich darf Ihnen versichern, dass es **auch mir ausserordentlich gefällt.** Ich werde es deshalb nicht nur meinen Schülern, sondern auch befreundeten Kollegen andrer Anstalten aufs **angelegentlichste empfehlen.**

(Gymnasial-Professor Dr. **H. Kluge** in Altenburg.)

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Gp 51.67.10
Libellus historico-criticus in quo
Widener Library 006543353
3 2044 085 145 944